




Disputatio de Contri
II
6
385









DISPUTATIO THEOLOGICA

De

CHRISTI REGNO GLORIAE,

Occasione ἐξηγήσεως dicti.

Luc. 22. vers. 29, & 30.

Ἐγὼ διατίθεμαι ὑμῖν, καθὼς διέθετό μοι ὁ πατήρ μου βασιλείαν, &c.

INSTITUTA

QUAM

Sub Gloriosissimi REGIS propitio sceptro.

PRÆSIDE.


DN. IOHAN. SCHMIDT,

SS. THEOL. D. ET PROFESSORE ORDINARIO, Conventus Ecclesiastici Præside h. t. Universitatis RECTORE Magnifico, Dn. Patrono & Præceptore, multis nominibus venerando.

SOLENNITER *tuebitur*

M. JOHANNES FRIDERICUS HEILBRUNNER, Ulm.

Die Mensis horis locoq; consuetis.



ARGENTORATI,

Typis Hæredum JOHANNIS ANDREÆ,

ANNO M. DC. XLIX.



SERENISSIMO, AC CELSISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,

DOMINO

EBERHARDO, DVCI WIRTENBERGENSI ET TECCENSI, COMITI MONTISBELGARDENSI, DOMINO HEIDENHEIMICO, &c.

PRINCIPI AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

HANC DISSERTATIONEM THEOLOGICAM,

DEVOTISSIMO ANIMO, HUMILIMOQVE OBSEQUIO,

SACRAM ESSE VOLO

M. JOHANNES FRIDERICUS HEILBRUNNER.



DISPUTATIO SOLENNIS,

De

CHRISTI REGNO GLORIAE!

Ex Luc. 22. verſ. 29. & 30.

Ἐγὼ διατίθεμαι ὑμῖν, καθὼς διέθετό μοι ὁ πατήρ μου βασιλείαν, ἵνα ἐσθίητε καὶ πίνητε ἐπὶ τῆς τραπέζης μου, ἐν τῇ βασιλείᾳ μου.

§ I.



APoſtolus ſub initium Cap. 2. Epiſt. ad Hebr. graviſſimam ad amplexum Evangelij exhortationem inſtituens, Primum, verſ. I. quæ de autore ejus & promulgatore Chriſto, ac hujus majeſtate præcedente cap. copioſius dixerat, tacitè repetit: *Quod is Filius ſit æterni Patris, ipſi coæternus, ſeculorum conditor; Redemptor, & Rex Eccleſiæ, angelis longè major & Excellentior*, unde, quantâ attentione doctrina ejus audienda, meditanda, cuſtodienda, per ſe pateat: mox verſ. eod. & ſeqq. ſubjungit periculum, quod negligentibus impendeat, *παράῤῥοιαν præterfluxum*, quo & cum fidei jacturâ, quæ perceperunt facile, inſtar vaſis quod rimarum plenum eſt, & hac illac profluit, amiſſuri, & ipſimet, inſtar aquæ dilabentis, perituri ſint, Deo ipſos ex ore ſuo evomente. Cum enim legalis ſermo, Angelorum miniſterio promulgatus, firmus ratuſq; extiterit, *omniſq; ejus transgreſſio juſtam retulerit retributionem*, longè ſeveriùs doctrinæ, ab ipſo æterni patris Filio, ad ſalutem conſequendam traditæ, contemptores iri punitum. Addit verſ. 3. & 4. Doctrinæ Evangelicæ βεβαιότητα, quam à Deo ipſo habeat, quippe qui eidem cœlitus teſtimonium præbuerit per *ſigna*,

Προοίμιον ex Cap. 2. ad Hebr.

portenta, varias virtutes & Sp. S. distributiones. i. e. per miracula omnem naturæ vim superantia, per varia dona, Apostolis aliisq; fidelibus collata, qualia fuerant donum sanationis, Prophetiæ, linguarum &c. quæ omnia abundè comprobârint, eam divinam & sacrosanctam, adeòq; reverenter suscipiendam & amplectendam esse. Tandem vers. 5. denuò ex dignitate & eminentiâ promulgatoris, promit argumentum, ac cum Judæorum plerique ideò legem Evangelio præferrent, quod per Angelos data esset, stendit, hisce Christum longè esse eminentiorem & potentiorem, utpote cui *ἡ οἰκουμένη ἡ μέλλουσα, orbis terræ seu mundus futurus subiectus sit*, in quem Angeli nullum unquã imperiũ acceperint.

In quo Christo subiectus dicitur mundus futurus.

§. 2. Quid per *τὴν μέλλουσαν οἰκουμένην* Apostolus intelligat, obscurius est, quam ut primâ fronte appareat, Unde variæ interpretum sententiæ. Ex Antiquitate Chrysost. homil. 4. ad Heb. *Nunquid*, ait, *de altero aliquo orbe disputat? Non ita est: sed de isto præsenti, propter hoc etiam addidit: de quo loquimur, ne mentem auditoris errare relinqueret, dum alius quæreretur orbis: quommodo ergò eum futurum vocat? Nempe quemadmodum & alibi dixit, qui est forma futuri, de Adamo & Christo loquens, in epistolâ ad Rom. respectu temporum in quibus vixit Adam, futurum secundum carnem vocans Christum, etenim futurus erat: sic etiam nunc, quoniam dixit: quaudo autem introducit primogenitum in orbem terrarum, ne putares alium eum orbem dicere, ex multis hoc confirmat, eo ipso quod dicit futurum: futurus quippe erat orbis, Filius autem Dei semper erat: hunc ergò orbem futurum non Angelis subdidit, sed Christo.* Hæc Chrysostomus: cui recentiorum quidam per omnia adstipulantur, nominatim Andreas Hyperius comment. in Epist. ad Heb. p. 88. & seqq. Ex Pontificiis Franciscus Ribera Jesuita, *futurũ hunc orbem Ecclesiam facit* in his terris militantem. *Orbem* inquit, *terræ futurum dixit, quia novi homines futuri erant in mundo, novũ seculum, nova Respublica; unde dictus Esaiæ 9. Pater futuri seculi. Ita etiam cum Ecclesia semper fuerit, nova Ecclesia in Christo incipere dicitur, sicut ipse ait Matth. 16. Ego dico tibi, quod tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: Quoniam novus Rex apparebat & novas leges ferebat, ac nova Sacramenta & novam Rempublicam instituebat. Huius ergò Ecclesiæ sive huius novi orbis; (ipsa enim est, quam novum orbem appellat) Christum Regem constituit*

Quid sit mundus futurus?

An hic orbis mũdi?

An Ecclesia?

ut Filium, Angelos verò non Reges sed ministros esse voluit, sicut dixit: Nonne omnes sunt ministratorij spiritus &c. Vt sit sensus: Vos. (Hebræi) estis initium huius orbis futuri, & huius novi seculi, quod non Angelis sed Christo subjecit Deus: quare non legi Veteri parère debetis, sed Evangelium constanter retinere, cum non Angelis sed Christo DEVS vos atque omnes homines subiecerit. &c. Non displicet hæc opinio Riberæ & Justiniano, comment. pag. 676. reijcitur tamen â Cornel. à Lapide pag. 614. qui *Valde impropriè* inquit, *& obscurè Ecclesiam vocari orbem futurum, non ita unquam in Scripturâ nominari.* Idem opere ipso cum Ribera sentiunt, qui nomine orbis futuri *universum accipiunt tempus, quod ad finem mundi succedit ab illo, quo Evangelium Christi captum est annunciari primum, & propagari. Hoc toto tempore,* ajunt isti, *futuro Christus potestatem omnium accepit, & Dominus omnium constitutus est. Orbu præteritus habuit legem, quamdiu illa vires suas habere debuit, & Moses habitus fuit in pretio. At orbis futurus, qui novus erit, per spiritualem regenerationem habiturus est Evangelium perpetuò duraturum, & cum orbem habebit Christus sibi subditum, solus Christus ab eo pro Domino agnoscetur.* Conf. Hyper. c. l. & Justin. p. 637. Affines sunt & illi, qui Apostolum termino *orbis futuri respectum habuisse volunt, ad tempora Davidis, qui Psal. 8. de Christo vaticinatus sit, & futurũ dici propter restauratione͂, quæ per Meßiam fieri debuit.* Itemq; illi, qui *ipsum Evangelium* orbis futuri nomine insigniri, quia in universum mundum tempore N. T. propagatum sit, arbitrantur. Conf. Hunnium comment. in Epist. ad Hebr. cap. 2. p. 878. & Bald. hunc per omnia hîc sequentem, disp. 3. in Epist. ad Hebr. 1, part. alter. p. B. 2. Walth. harm. p. 589.

An tempus ab Evangelio in Novo Test. annunciato.

§. 3. Pluribus tum veterum tum recentiorũ, *orbis sive mundus futurus*, est *seculum futurum*, in quo regnum Christi plenè consũmabitur, atq; idem, omnibus hostibus prostratis, gloriosissimo triumpho, imperio, & Dominio, cum sanctis suis regnabit. Nunc enim Christum nondum videri habere plenam potestatem, cum etiam Diabolus, mors, peccatũ, adhuc regnum in mundo suum, modo suo habeant: at post extremum judicium regnum ejus prorsus consũmatum iri, futurum per omnia integrum, nec ullis amplius hostiũ insultibus, obnoxium. Theodoretus duobus verbis *orbem terræ*, inquit *vitam futuram appellavit pag. 111.* Theophylact.

An futurũ seculũ & regnum gloriæ?

phylact. licet pro more Chrysostomum sequatur, addit tamen *nonnulli per futurum orbem, futurum mundum intellexerunt, quando Angeli ut servi aßistent, filius autem ut judex sedebit p.889.* Oecumenius simpliciter: *futurus orbis, est futurus mundus. pag.327.* Quem sensum verborum noster D. Gerhardus amplectitur, comment. in Epist. ad Hebr. cap.2. pag.48. *Ecclesia qualis post huius mundi abolitionem futura est, in cœlesti gloriâ, orbis futurus est, de quo agunt Scriptura dicta* Esa.65,17. cap.66,22. Rom.8,21. 2. Pet. 3,13. Apoc.21,1. *Huius futuri seculi Christus dicitur Pater,* Esa.9.v. *6. hic orbis est civitas futura, cuius artifex & conditor est Deus,* Heb. 13,14. & 11. 10. quam expositionem etiam probat ex Apostolico scopo, qui sit, *Christi sacerdotium declarare, quod non huius sed futuri seculi bona spectet: Esse enim Christum Pontificem futurorum bonorum* Heb.9,11. Conf. reliqua Idem ex Pontificiis Estius statuit Cũment. pag.417. quam sententiam ijsdem fundamentis confirmat è Calvinianis Piscator in notis, & Franciscus Junius in Parallelis.

Sensus Apostoli scopo conveniens.

§. 4. Forte nihil sive à Phrasi & verbi usu, sive à Scopo Apostolico alienum sentiemus, si omnia hæc conjungamus, & Apostolum termino [οἰκουμένης μελλούσης tum hunc præsentẽ mundum, in eoque in genere, quicquid is suo complexu continet, speciatim verò militantem Ecclesiam, quæ suum in mundo hospitium habet, tum futurum gloriæ regnum, comprehendere voluisse, statuamus. Οἰκουμένη, uti ex vi vocis constat, significat propriè eam hujus mundi partem, quæ habitatur, atq; figuratè ipsos habitatores, quanquam etiam simpliciter pro toto terrarum orbe ponatur, Conf. Luc.4,5. cap.21,26. Act.17,31. Heb.1,6. Quo vocabulo singulari studio uti Apostolus voluit, ut ostenderet, se hunc præsentem mundum nolle exclusum, sed unà comprehensum. Id quod amplius allegatio, & applicatio Ps. 8. vers.5.6.7.8. confirmat. Qui, quod vel præcipuè hujus mundi ad Christi pedes subjectionem describant, primus eorum intuitus planum facit: mentio enim in ijs fit *ovium, boum, pecorum campi, volatilium cœli, piscium maris,* &c. quæ omnia hujus mundi sunt. Quod autem epitheton μέλλουσαν addit, eo discrimen inter Christi regnũ & quævis alia huius seculi regna constituit, tacitè innuens, omnia mundana regna, suas in hoc seculo habere periodos, certo anno-

annorum ſpacio durare , poſt finiri, imò omnia prorſus in hoc mundo deſitura; Chriſti autem regnum, nullis temporum limitibus circumſcribi, ſed & nunc durare , & poſt hujus mundi finem, æternùm duraturum eſſe, Dan. 9, 14. Luc. 1, 33. Omnia itaque regna, quorum adminiſtrationi Chriſtus divino decreto deſtinatus eſt, breviſſimè, verbis οἰκουμένης μελλούσης complectitur, ut ſenſus ſit : Longè eminentior & ad ſublimiorem majeſtatem Chriſtus, qua homo, evectus eſt, quàm Angeli , licet & iſti ſint *principatus, poteſtates, virtutes, Dominationes.* Nam nemini Angelorum ſeorſim, neque omnibus conjunctim , omnia ſubjecit DEUS, non illos fecit totius univerſi Reges & Dominos , non Dominos & Reges Eccleſiæ, non Dominos & Reges futuri regni gloriæ. Unus Chriſtus eſt, cui commiſſum univerſale in univerſum mundum imperium, qui Rex Eccleſiæ in his terris militantis factus eſt, qui & in cœlis glorioſè regnat , ac in omnem æternitatem regnabit.

§. 5. Atq; in hoc de Chriſto Domino & Rege argumento, hactenus meditationib⁹ noſtris ſumus verſati : *Regiũ officiũ in genere* primum, ex Apoc. 19. verſ. 16. Deinde in ſpecie *Regnũ potentiæ.* ex Matt. 28. v. 18. porrò *regnum gratiæ*, ex Pſ. 68, 29. expoſuimus, *Regnum gloriæ*, illud, cujus aliquam nobis umbram in regno potentiæ, aliquem inſuper guſtum in regno gratiæ fidelibus Chriſtus exhibet, adhuc ſupereſt; de quo , omnibus quæ humanæ ſunt curioſitatis aut vanæ extra verbum ſpeculationis , omiſſis , ad ſacrarum literarum χειραγωγίαν paucis acturi , brevem verborum ipſius glorioſi Regis noſtri Chriſti , de regno ſuo gloriæ olim cum Apoſtolis locuti, hodieque nobiſcum loquentis, ἐξήγησιν, ne à conſuetudine noſtrâ abeamus, præmittemus.

§. 6. Verba ita habent: Ἐγὼ διατίθεμαι ὑμῖν, καθὼς διέθετό μοι ὁ πατήρ μου βασιλείαν ἵνα ἐσθίητε καὶ πίνητε ἐπὶ τῆς τραπέζης μου ἐν τῷ βασιλείᾳ μου. Quæ Vulgatus reddidit: *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum , ut edatis & bibatis , ſuper menſam meam, in regno meo. Syrus*: אנא משתודא אנא לכון איך Textus.
דאשתודי לי אבי מלכותא דתאכלון ותשתון
על פתורא דמלכותא דלי
Ego polliceor vobis ſicut pollicitus eſt mihi pater meus regnũ, ut commedatis & bi-

batis, ſuper menſam regni mei. Beza *Ego paciſcor, vobis prout pactus est mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis in mensâ meâ in regno meo.* Lutherus. Jch will Euch daß Reich beſcheiden / wie mir mein Vatter beſcheiden hat / daß Jhr eſſen vnd trincken ſollet / über meinen Tiſch in meinem Reich. Dietenbergius: Jch bereit Euch das Reich / wie mir daß mein Vatter bereitet hat / ꝛc. Piſcator, Jch verordne Euch das Reich / wie mirs mein Vatter verordnet hat / ꝛc. Photinianus interpres Jch beſcheide Euch ein Königreich / wie mirs ꝛc.

Occaſio. §. 7. Regni ſui ac glorificationis cœleſtis, Chriſtus paſſioni jam & morti vicinus, aliquoties meminit, quem de terrenâ aliquâ ſive mundanâ gloriâ & regno, quale vel Davidicũ vel Salomonis fuit, locutum, Apoſtoli plurimis adhùc infirmitatibus, licet tot annos ſapientiſſimo Magiſtro cohabitaſſent, obnoxii, fuerant perſuaſi; unde quod & pridem fecerant, conf. Matt. 18. verſ. 1. Marc. 9, 33. de primatu in hujus mundi regno, inter ſe acriter contendere cœperunt, aliis atque aliis, alias atque alias prærogativas, ſanguinis propinquitatem, ætatis rationem, diuturnam cum Chriſto converſationem, familiam, dona, & id genus plura, urgentibus. Quam contentionem multis nominibus reprehenſibilem, Chriſtus blandis & amicis verbis compoſiturus, inter regnum ſuum & hujus mundi imperia, maximum eſſe diſcrimen, eòque ſimul, quod in graviſſimo errore de regno ſuo Apoſtoli verſentur, oſtendit; quo facto ad humilitatem animiq; demiſſionem hortatus eſt, ut qui *maior velit eſſe fiat minor*, & qui principem locum ambiat, miniſtrum ſe præbeat reliquis. Cui ut tanto libentius morem gererent, ſuum exemplum *quod inter ipſos veluti miniſter vixiſſet*, conſiderandum propoſuit, quo pacto tacitè ipſis vanam ambitionem, ad quam animo concipiendam, nullum prorſus in ipſo veſtigium unquam deprehendiſſent, exprobravit. Quibus ampliſſimam hanc præmii, *cœleſtis nimirum regni atq; æternæ gloriæ promiſſionem* ſubjunxit, fore ſc. ut, ſi ex fide bonis monitis obtemperarent, faſtum, ambitionem, vana mundanæ dignitatis deſideria, animis exuerent, humilitatem ad exemplum ſuum ſectarentur, non, quod alij plures feciſſent, Joh. 6, 66. *abirent retrò*, ſed porrò etiam tentationes, calamitates

mitates contemptum, odia mundi, persecutiones, perseveranter ferrent, tandem aliquando ad gloriam non hujus seculi, quæ fugax, inconstans, lubrica, periculosa, sed futuri, quæ perennis & æterna, eveherentur: gaudiis nō mundanis quæ dolore permista, nihil sinceritatis habeant, sed cœlestibus quæ omni metu atque impuritate libera, in infinita secula durent, perfruerentur.

§. 8. Cujus promissionis germanū sensum ut assequamur, circumstantiæ, quæ suo ordine sese offerunt, sigillatim sunt expendendæ. Quarum *prima personā promittentē* nobis sistit, *Christum θεάνθρωπον* qui Emphaticè *Ego* inquit, *dispono vobis regnum.* Omninò particula *Ego* hìc peculiarem emphasin habet, quam Maldonatus, in antithesi Christi & Apostolorum sitam esse, ait: *Vos pro me hoc fecistis, ut mecum in tentationibus meis permaneritis, Ego hoc vicissim pro vobis facio, ut disponam vobis regnum.* Sed & aliud, quod gravius, subest; Extremus humiliationis & exinanitionis Christi jam instabat gradus, aderat hora, quâ se ex æterno decreto, in crudelium lictorū & carnificum vincula, in iniquissimas injustissimorum judicium manus, traditurus erat, futurus juxta Esaiæ Vaticinium cap. 53. & seqq. *despectus & novissimus virorum, Vir dolorum & sciens infirmitatem, in quo nec species, nec decor.* Unde in eam facilè opinionem discipuli aliiq; fideles venire potuissent, quod & aliquo modo postea factum, jam actum esse, collapsam spem, quam in eo locârant, frustra instaurationem regni Israelis, frustra fructus ejus & beneficia tantopere desiderata, amplius expectari. Contra quod scandalum, ut animos præmuniret, nihil suæ Regiæ Majestati, Potentiæ, dignitati, etiam inter acerbissimos mortis cruciatus, & extremam ignominiam decedere, hâc voce *Ego*, testari voluit, ut sensus sit: Sum maneoque ego, ille ipse, qualis consilio æterno, ante mundi exordium constitutus fui: Rex maneo & rerum omnium Dominus, si maximè servili formâ incedam, & ad mortem usque crucis me humiliem, *Omnia in manibus meis nunc quoq; habeo, omnia pedibus meis subjecta;* ipsum cœlorum regnum, uti à me jam toti generi humano obediendo acquiritur, ita in manu meâ est, quod cunctis in me perseveranter credentibus, maximè vobis, qui varias mecum tentationes hactenus constanter subiistis, polliceor: passiones istæ quibus me objicio, regiam dignitatem & potentiam

2. Circumstantiæ.

1. Persona promittens.

Emphasis in particulâ Ego.

non adimunt: ſed ad eam plenariè exercendam, viam ſternunt. State itaque, & quod hactenus præſtitiſtis, meum imitamini per humilitatem exemplum, ut ſuo tempore, me in gloriam cœleſtem, & æterna gaudia intranté, ſequamini. Faxo ego, ut præſtitæ ad temporis hujus momentum conſtantiæ, æterna præmia percipiatis. Ergo hâc particulâ demonſtrativâ *Ego* quantum in ſe, diſcipulorum animos excitat, ut memoriâ, quæ jam dudum crebrius & audiviſſent, & credidiſſent, & confeſſi eſſent, repetant: habere ſe Magiſtrum, qui ſit filius Dei vivi, qui ſit Rex Iſraëlis, uno verbo qui ſit Meſſias, ab origine mundi promiſſus; atque inde certi ſint, fore, ut, quod fide expectent, ſuo tempore, non obſtantibus perſecutionibus, ex voto ſint conſecuturi. Similem voculæ hujus emphaſin habent verba conſolationis pleniſſima apud Eſaim cap. 46, 4. ubi Jehova Filius *ego ipſe* inquit, *vos fideles usq; ad canos & ſenectam in utero portabo, ego feci & ego feram, ego portabo & ſalvabo.* Conf. Gen. 17. v. 1. cap. 26. 24. Exod. 3, 6. Eſai. 41, 4. c. 34. v. 3. 5. Matt. 5, 22. & ſeqq. c. 11, 28. Marc. 6, 5. c. 9, 25. Joh. 6. verſ. 20, 35, 48. c. 10. 11. 14. Act. 9, 6. Porrò ſicut hoc in loco ἐμφατικὸν ἐγὼ, ut ex Chriſti imâ exinanitione in contemplationem & cultum ſummæ majeſtatis aſſurgamus, monet, ita alibi pari ſignificationis pondere, ex ſummâ majeſtate in extremam humilitatem, ut eam piè imitemur, deducit. Pſ. 22. v. 7. *Ego ſum vermis & non homo, opprobrium hominum, & objectio plebis &c.* Senſus eſt: Ego qui ſum æterni Patris unigenitus & conſubſtantialis filius, per quem mundus conditus qui alijs ſalutem præſtat, verbo virtutis ſuæ, &c. ſum (ô rem ſtupendam) abjectiſſimus, ut vermibus potius qui conculcantur, quàm hominibus, annumerandus videar: conf. Eſai. 45. verſ. 11. & 24. *Ego ſum Iehova, ſervire me feciſti &c.* cap. 50. verſ. 1. 5. & 6. Hæc dicit Jehova: *Ego corpus meum dedi percutientibus &c.*

2. Regnum promiſſum.

§. 9. Sed *quod & quale eſt regnum*, quod pollicetur Chriſtus? Omne ne illud, quod à Patre ipſemet accepit, adeoq; & *potentiæ* regnum, ut diſcipuli aliique fideles in ſocietatem veniant adminiſtrationis totius univerſi, dominentur à mari ad mare; & poſſeſſionem habeant terminorum terræ Pſ. 72. v. 8. & 2, 8? Minimè omnium. Non enim quæ indefinitè Chriſtus profert, in univerſalitatem ſunt extendenda. *Regnum* ait *vobis diſpono* non abſo-

Non Potentiæ.

lutè

lutè omne regnum. Venit Christus in mundum, ut credentes ſalvaret, non ut univerſi Dominos faceret, cujus poteſtatis neq; capaces ſunt, quæ ſoli Deo propria, nemini extra Deum communicata eſt. Nec gratiæ. Fortè igitur *gratiæ regnum* in militante Eccleſiâ intelligit, in quo pij per ipſum, & vi ejus meriti Domini ſint, & in peccatum, Sathanam, mortem, omnesque hoſtes ſpirituales imperium habent, juſtitiâ, vitâ, ſpe certâ ſalutis gaudentes? Ita quidem non incommodè verba Chriſti accipi poſſe, Ex Pontificiis Salmeron putat. tom.9.tr.45.p.373. cujus verba ſunt: *Hæc de regno Chriſti in Eccleſiá militante exponi poſſunt, quia Apoſtoli ſunt primi, qui ſedent in mensá Euchariſtiæ, cujus conſecratio primum Apoſtolis eſt credita & diſpenſata, & judices Iudæorum effecti ſunt, per traditam ibi poteſtatem clavium, & autoritatem remmittendi ac retinendi peccata.* Ex Calvinianis Beza in notis pag. 320. *Cum* inquit *Vox hebræa* ברית *de omnibus inter vivos pactis dicatur, & totus iſte ſermo cæperit ex eâ cõtroverſiá, quæ inter illos duodecim de primatu exorta erat, apparet, de illo cœleſti regno, cuius particeps erunt pro ſuo modulo omnes credentes, ac proinde de illo fœdere ſeu teſtamento hîc non agi, ſed de Apoſtolicá in huius regni adminiſtratione, id eſt in promulgando Evangelio, & conſtituendis per orbem terrarum Eccleſiis autoritate, quam ipſe ad Patrem abiens, ipſis committat, eâdem quá illam à Patre acceperat conditione, nunquam ipſe diſcedens à voluntate Patris, non quicquam ut à ſeipſo loquens, quoniam fuit Evangelij miniſter & μεσίτης &c.* Ex noſtratibus graviſsimus Brentius, *utrumq; regnum & gratiæ & gloriæ à Chriſto conjungi, utrumq; promitti*, adeoque de utroque verba commodè explicari poſſe arbitratur. *Cogites* inquit, pag. 1453. tom. 5. *mihi, quid per regnum intelligendum ſit?* mox ſubijciens: *Regnum cœlorum aliquoties tempus illud dicitur, quo in hoc ſeculo publicè prædicatur Evangelium de Ieſu Chriſto qui eſt Monarcha regni cœlorum: Aliquoties Regnum cœlorum dicitur, quo beati in altero ſeculo fruuntur perpetuá felicitate, utcunq; de regno cœlorum loquaris. Apoſtoli ſemper, non quidem carnali, ſed ſuo quodam ſpirituali & divino modo, edunt & bibunt, ſuper menſam Chriſti in regno ejus. Nam his verbis explicatur ſumma felicitas, ſi enim de regno cœlorum loquaris, quo Evangelium Chriſti in orbe terrarum per Apoſtolos revelatum eſt, certè Apoſtoli dicuntur ſemper cum Chriſto ſuper menſam ſediſſe & bibiſſe, etiã*

in hoc seculo, propterea quod Christus semper eos spiritu suo præsens, in omnibus adversis conservarit & confirmaverit &c. pag. seqq. *Quod si verò loquendum est de regno cælorum, quo pij perpetuo in futuro seculo fruuntur, sedent & ibi Apostoli cum Christo in mensâ ejus, & summæ felicitatis, quam nullæ humanæ linguæ explicare possunt, participes redduntur.*

§. 10. Non morosè hæc suggillamus, (maximè quæ ex Dn. Brentij commentariis allata modo sunt,) minus damnamus, à fidei enim analogiâ nihil alienum continent. Interim tamen, si & Christi intentionem, & rationem phraseos spectemus, alia etiã parallela Scripturæ loca conferamus, rectiùs *de solo gloriæ regno*, quam vel de solo regno gratiæ, vel de utroque conjunctim gratiæ & gloriæ, verba accipienda esse, apparet. De primatu, dignitate, gloriâ, felicitate, in regno mundano, quod Apostoli vanâ persuasione conceperant, contenderunt, nõ de ferendis indocendo laboribus. Avocat ipsos Christus ab inani expectatione, & tamen simul regnum pollicetur, regnũ longè omnib⁹ hujus seculi felicius, gloriosius, bonis abundantius, quod in cœlo paratũ sit: *Non,* ipso opere ait, *dispono vobis regnum terrenum, sed cœleste; non faciam vos principes terræ, sed cœli* : *Reges huius seculi non invitabunt vos ad mensas suas, sed potius truci dabunt, Ego autem efficiam, ut perpetuò in regno meo super mensam meã edatis & bibatis. Quid hâc maiestate & felicitate excellentius? &c.* Conf. Brent. p. 1452.

Sed gloriæ.

Deinde non de eo Christus quod Apostoli vel jam præstiterint, vel modo præstent, sed quod suo tempore ipse sit præstiturus, loquitur: adeoque res futuras pollicetur: officia autem Apostolica jam acceperant, ijsdem certo modo erant functi, docuerant, ediderant miracula, Luc. 9. v. 1. & seqq. modo etiam mensæ Christi assederant, ac sacratissimi corporis, & sanguinis ejusdem facti erant participes. De his itaque commodè intelligi nequeunt, sed de alio regno nondum præsente, de alio cibo & potu, qualem hactenus nondum percepissent, qui quidem paratus esset & dispositus, sed nondum appositus. Ipsum τὸ edere & bibere, de quo paulò post, suum quidem locum etiam in regno gratiæ habet, & vel sacramentale est, olim in V. T. in agni paschalis commestione, hodiè in Sacræ Domini Cœnæ celebratione, vel spirituale, quod fide perficitur, de quo Joh. 6. Sed non neces-

necessariò, ubi ejus sit mentio, sive illud sive hoc intelligendum. Cœleste enim insuper Scriptura passim promittit, quod nec sacramentale est nec spirituale, nisi latius vocabulum sumatur. Ex cujusvis itaque textus circumstantiis, de germano verborum sensu, judicandum: quod si hîc fiat, nec sacramentalis nec spiritualis cōmestio aut bibitio, ob allatas rationes, admitti poterit: manet sola cœlestis, Christi merito parata disposita, futura. Id quod amplius confirmatur, si consideremus, nullibi in sacris literis Apostolorum officium, aut in genere omnium Ecclesiæ pastorum, quod in docendo per terrarum orbem Evangelio, & administrandis sacramentis occupatur, verbis commedere & bibere describi, licet auditoribus verbum fide percipientibus & amplectentibus, hæc spirituali sensu tribuantur. Conf. præter Joh. 6. cap. 55. Esa. v. 1. Prov. 9. v. 5. Ex collatione Matth. 8, 11. res tota evidens est, ubi Christus heroicam Centurionis Capernaitici fidem admiratus, *dico vobis* inquit, *multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abrahamo, Isaco, & Iacobo in regno cœlorum*. Sanè de vocatione gentium ad Ecclesiam & regnum gratiæ, hæc etiam Christi verba, & ab antiquioribus & recentioribus Scripturæ interpretibus accipi novimus, ex August. serm. 6. de Verbo D. tract. 16. in Ioh. Hunnio tom. 3. operum pag. 163. Lyser. harmon. Evang. cap. 53. pag. 29. & seqq. & aliis. quibus & nos libenter adstipulamur, sed ita, ut eandem implicitè hîc contineri, & potius præsupponi, quam directè prænunciari, statuamus. De aggregatione electorum ex gentibus ad latera Abrahami, Isaaci & Iacobi in regno gloriæ, propriè & directè sermo est, quia verò ad tantam beatitatem nemini via patet, nisi qui prius in hâc vitâ fidelis regni gratiæ civis, ad exemplum piorum Patriacharum, extitit, ideò hâc ratione verba etiam ad regnum gratiæ non incommodè referuntur, ut sensus sit: multi ab oriente & occidente ex gentibus à Iudaicâ Ecclesiâ jam remotissimis, per Evangelium ubique locorum prædicandum convertentur, & sic conversi, post hanc vitam eiusdem cœlestis gaudij, quo nunc beati Patriarchæ fruuntur, fient participes. Quod verò non de regno gratiæ, sed gloriæ Christus propriè loquatur, vel ex solâ antithesi, v. 12. liquet, quo regno cœlorū extremæ tenebræ, ubi fletus est & stridor dentium, opponuntur, quæ verba

descriptionem non status extra gratiam & Ecclesiam, in hâc vitâ; sed ipsius inferni & æternæ damnationis continere, ex omnium locorum, ubi phrasis ea invenitur, collatione, constat. Conf. Matth. 13. v. 42. & 50. cap. 22. v. 13. cap. 24. v. 51. cap. 25. v. 30. Luc. 13. v. 28, unde necessariò sequitur, vers. præced. non gratiæ sed gloriæ regnum propriè intelligendum esse, ut sensus sit: fideles & electi ex gentibus, cum Patriarchis vitæ æternæ hæredes sunt futuri, plurimi autem Iudæorum, qui scil. oblatam grariam respuerunt, æternùm damnabuntur. Conf. Luc. 13. v. 28. & seqq. ubi hæc verba à Christo repetita, non nisi de regno gloriæ sumi posse, ex toto contextu tàm est manifestum, ut vix sit, qui aliter sentire ausit.

A quo dispositum, sc à Patre.

§. 11. Porrò *à Patre suo* hoc gloriosum beatæ vitæ regnum, quod fidelibus pollicetur Christus, sibi *dispositũ esse*, ait: Hic enim quia τῆς θεότητος πηγή, quia ex hoc ab æterno ineffabili modo genitus est, & cum Essentiâ omnem majestatem habet, ideòque omnia ad eundem, quæcunq;, modo quocunq;, sive secundum divinam, sive secundum humanam naturam possidet, loquitur, facit, plerunque referre solet; à se nihil proferre, efficere, & ne posse quidem, ait: quod apud Evangelistam Johannem frequentius, quam reliquos fieri, notum est. Conf. cap. 5. v. 19. *Non potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, & iterum v. 30. *non possum à me facere quicquam*, eodem cap. v. 6. *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me*, vers. 28. *à meipso non veni*, cap. 8. v. 28. *Ex meipso facio nihil*, cap. 12. v. 49. *ex meipso non sum locutus &c.* Quæ omnia, ut & imprimis textum nostrum, olim Ariani ad destruendam inter Patrem & Filium in divinis æqualitatem detorquere consueverunt. Conf. ex Veteribus Idacij Clari librum adversus Varimadum Arianæ sectæ Diaconum tom. 4. magnæ biblioth. Patr. pag. 630. C. Sed si singula ritè ad fidei regulam, & cum aliorum locorum collatione, ponderentur pleraque potius ad æqualitatem Patris & filij adstruendam facere, conspicuum evadit. *Quod enim ex seipso nihil se posse facere, nihil loqui &c.* Christus ait, ejusdem sese cum Patre esse naturæ, virtutis, majestatis, potestatis esse, intimam inter se Patremque atque Essentialem περιχώρησιν, eandem voluntatem, &c. innuit, adeòq; quod alibi, Ioh. 10. v. 30. *Ego & Pater*

ter unum ſumus, ait, luculenter confirmat. Nequaquam enim *τὸ non poſſe facere*, hîc notat aliquam ἀδυναμίαν imbecillitatem, imperfectionem, quo pacto legibur, Ioh. 15. verſ. 5. *ſine me nihil poteſtis facere*. Conf. 2. Corinth. 3. verſ. 5. Sed potius, cum de Deo ſimpliciter prædicatur, ſummam perfectionem naturæ eodem modo operantis, ut aliter ſe habere nequeat, quâ ratione aliàs ἀδύνατον dicitur *Deum mentiri*, cum ſit ἀψευδὴς, Hebr. 6. v. 9. Tit. 1. v. 2. De Chriſto cum uſurpatur, exprimit, ut modo dictum, ipſius ac Patris, & eſſentiæ, & potentiæ, & voluntatis, & operationis, identitatem, unitatem, inſeparabilitatem ac ſimul τρόπον ὑπάρξεως, quod nimirum Filius, ſicut non eſt à ſe, ſed à Patre, ita quoque à ſe non agat, ſed à Patre. Ac utrumque ob dictam rationem verum eſt: *non poteſt quicquam in divinis Filius facere à ſe, & non poteſt non, quod Pater facit, idem & ipſe Filius facere*; unde ſtatim ſubiicit: *Quæcunque Pater facit*, (ad extra ſc. nam operum ad intra ratio alia eſt) *eadem*, prorſus omnia ut nihil excipiatur, ὁμοίως *ſimiliter*, non diſparitate quâdam aut inæqualitate, ſed ex eâdem eſſentiâ, ſapientiâ, libertate, potentiâ, *facit Filius*. Accuratè Euthym. & præclarè in h. l. *His, qui ſunt intellectu craßiores, potentiæ minorationem præ ſe fert hîc ſermo, ſubtilibus autem æqualitatem potius & identitatem. Non poteſt Filius facere à ſe, non ob potentiæ defectum, ſed propter inſeparabilitatem: Nam impoßibile eſt Filum quicquam facere quod non facit Pater, quia non eſt alia Filij potentia, ab eâ quæ Patris eſt, &c.* Confer quæ prolixè & graviter commentatus eſt Chemnitius lib. 3. Harmon. cap. 46. Ad textum noſtrum hæc applicari, (ſi eundem de Chriſto etiam juxta divinam naturam conſiderato, accipere velimus) forte non incommode poſſunt, ut ſenſus verborum ſit: Ex me non ſum Rex glorioſus, nullum habeo gloriæ regnum: à patre eſt, quod vobis polliceor. Is me Filium ſuum ſibi coëſſentialem ab æterno genuit, eâque generatione omnia quæ poſſidet, mea mihique communia fecit, ut verè dicere poſſim, *omnia quæcunque Pater habet, mea ſunt*, Ioh. 16. v. 15. atq; hinc etiam Regia gloria & majeſtas, gloriæque regnum. Eſt ille *gloriæ Pater*, Epheſ. 1. v. 17. à quo & cujus eſt *omnis gloria & regnum*: Ex quo fonte ego Filius ab æterno habeo, ut & ipſe in eâdem majeſtate, idem cum ipſo gloriæ regnum adminiſtrem, ſeu glorioſè regnem.

Regnum Christo, qua homini dispositum.

§. 12. Malumus tamen verba *de Christo quâ homine* accipere, quo nos & circumstantiæ contextus, & vis vocabuli διέθετο, deducunt. Humilitatem suam, vers. 27. præcod. ut in eâ tanquam speculo, Apostoli, quid se deceret, contemplarentur, proposuerat: ministrum sese, vel qui instar ministri tamdiu inter ipsos vixisset, usque adeò, ut & pedes illorum lavâsset, dixerat: Cum esset Dominus & in forma Dei, servum se factum esse, & ad ima officia se abjecisse, monuerat. Quæ omnia quod de Christo tantum juxta humanitatem intelligenda sint, & per se clarum, & alibi contra eos, qui Christum juxta utramque naturam exinanitum sive humiliatum fuisse, periculosè docent, ostensum est. His statim subijcit regni à Patre διάθεσιν ut inde intelligant, humiliationem illam esse spontaneam, & talem exinanitionem, quæ quidē continuum Dominij usum & Regiæ potestatis usurpationem juxta carnem non ferat, interim ipsam dignitatem & regni possessionem, quâ ut homo ditatus sit, non auferat: Cui per omnia simile est, quod peractâ pedum Apostolicorum lotione, quâ vix aliquid servilius, surgens: *Vos* ait *me vocatis Magistrum & Dominum, & benè dicitis, sum etenim.* Ubi sensus, cum, ut ante publicam officii administrationem, sic toto: hoc tempore, quo vobis sum conversatus, vos aliosque docui, & Evangelium per Iudæam prædicavi, humiliter juxta carnem meam me gesserim, in paupertate vixerim, famem, sitim, contemptum, sustinuerim, &c. non tamen quod jam feci, ad pedum vestrorum me demisi lotionem; Nolim autem, existimetis, hâc ad tàm servile officium abjectione, me meorum officiorum deposuisse dignitatem, ad quam juxta humanitatem meam evectus sum, stat ea mihi sine jacturâ; sum, dum lavo pedes vestros, etiam quâ homo, *Magister vester*, cœlesti, ut nostis, voce, à Patre vobis commendatus, ut me docentem audiatis, mihi credatis, morem geratis, exemplum meum imitemini. Sum præterea *Dominus*, iterum quâ homo, idq; non vulgari & gregariâ ratione, meris hominibus convenienti, sed singulari ac Deo propriâ. Dominus sum rerum omnium, *omnia quippe in manus meas à Patre mihi tradita sunt*: Dominus imprimis vester, omniumq; fidelium, quos in regno gratiæ defendo, foveo, amplissimis orno donis. Dominus etiam gloriæ, qui vos aliosq; pios, suo tempore, ex hoc gratiæ, in glo-

riæ regnum translatos, cœlesti æternâque beatitate coronaturus sum. Ergò sibi hoc loco ut homini Christus dispositum regnum esse ait, quo etiam verbum διέθετο tendit, quod non nisi impropriè ad communicationem divinæ majestutis per æternam generationem, ante mundi exordium factam, applicari potest. Cum varios aliâs usus verbum διατίθεμαι habeat, qui apud Lexicographos inveniuntur, crebro etiam latinis idem *est quod testari*, seu *testamento aliquid disponere* tanquā hæreditarium bonum. LXX. plerumque ijs locis, quibus pactum à Deo cum hominibus per amplissimas promissiones initum sive sancitum describitur, usurpant. Conf. Gen. 15. v. 18. Exod. 24. v. 8. Deut. 4. v. 23. cap. 5. v. 2. Ps. 89. v. 4. Es. 55. v. 3. Ier. 31. v. 33. Nec non de hominum inter se conventionibus, Gen. 21. v. 27. & 32. cap. 26. v. 28. cap. 31. v. 44. Ios. 9. v. 15. Respicit igitur Christus ad æterni Patris promissa, sibi quâ homini de regiâ dignitate & potestate facta, inter quæ eminet. Ps. 2, 6 & 8. *Ego constitui regem meum &c. Postula à me & dabo gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Conf. Psal. 72. v. 8. *Dominabitur à mari usq; ad mare, &c.* Ps. 89. v. 26. seqq. *ponam in mari manum eius*: id quod Syrus clarius exposuit, qui Græcum διατίθεμαι, verbo quod propriè *promisit seu pollicitus* est, reddidit. Accedit, quod, dum, quo modo Apostolis aliisque fidelibus regnum sit dispositurus, eo ipso à Patre sibi quoq; dispositum regnum esse, ait, tacitè omnes calamitates & passiones, per quas in gloriam ingressurus sit, innuat; adeoque hoc ipso simul in naturam, secundum quam talia exantlanda, humanam sc. digitum intendat. Sensus ergò est: Æternus Pater, cujus etiam juxta humanam naturam, per & propter unionem personalem unigenitus sum & naturalis filius, me, qui, quà Deus, idem cum eo Rex sum æternus, etiam quà hominem Regem constituit, ad Regiam Majestatem, ad cæleste regnum juxta promissionem suam evexit, quod unà cum ipso jam in manu meâ habeo, & ita quidem, ut, quotquot fideles mei sunt discipuli, & in me credunt, gloriæ meæ certo modo participes reddere possim & decreverim.

An Christo regnū ita dispositum, uti id in tēpore mereretur?

§. 13. Pertinet huc quæstio, *an paterna gloriæ regniq; διάθεσις, ita ab æterno facta sit, ut Christus idem in tempore passione suâ & obedientiâ sibi ipsi acquireret ac mereretur?* Affirmat non

obscure

obſcurè in h. l. Hugo Grotius, cujus hæc eſt verbōrum Chriſti *παρέφερτις* : *Pater mihi addixit regnum acquirendum per tolorantiam rerum adverſarum.* Quæ ipſa Pontificiorum & Scholaſticorum in Papatu eſt ſententia; quorum nomine Bellarm. lib. 5. de Chriſto Mediat. cap. 9. *Dicimus*, inquit, *Chriſtum meruiße ſibi illa omnia, quæ accepit poſt paßionem ſuam.* Sententia etiam Zanchij lib. 1. Epiſtol. tom. 8. oper. pag. 72. & Piſcatoris, qui ad verba Philipp. 2. v. 2. *propterea etiam* &c. ſcribit : *Ex his verbis diſcimus, Chriſtum obedientiâ paßionum ſuarum & mortis promeruiſſe ſibi futurum honorem*, &c. Quem ſtrenuè ſequitur Ravenſpergerus pentade 5. Cenſuræ de illuſt. Theol. qq. quæſtione 2. ubi & Bullingeri ſerm. 27. in Apoc. allegans, ait: *Duo ſunt, quæ Chriſtum ſibi meruiſſe ſtatuimus, videlicet vita æterna & ſumma illa ac ſingularis gloria, quâ pro filio Dei ab omnibus rationalibus creaturis agnoſcitur, ac proinde ut unus Deus adoratur, quarum illam ſibi meruit obſervatione legis, hanc verò per multas paßiones.* Ex parte etiam Martin. in Chriſtianâ & Catholicâ fide, lib. 2. cap. 16. p. 546. Qui ad quæſtionem, *an Chriſtus ſibi meruerit gloriam ?* poſt nonnulla, quibus negativam amplexus eſſe, vult videri, *Sed tamen* ait *meritus eſt ſibi gradum aliquem in ſalute altiorem, qui nempe ei neq; ſecundum juſtitiam debitus, neq; datus fuiſſet, niſi redemptoris & Mediatoris munus; in exinanitionis ſtatu obiiſſet.* Ægrè deſerit Rivetus: in cap. 53. Eſa. pag. 469. *ubi noillemus* ait *præfractè negare, ratione gloriæ corporis, & exaltationis Chriſti, obedientiam eius habere veram & propriam rationem meriti.* Mox addit : *Cum legis promißio vitam adiudicet ei, qui fecerit quæ mandata ſunt homini, quidni ſuâ obedientia ſibi vitam æternam Chriſtus acquiſiviſſet ?* Et Chamier panſtrat. Cathol, tom 2. pag. 131. qui ſcribit: *Sententia noſtra eſt, non eſſe de hoc articulo contendendum, ſed præſtare, ſi nunquam moveretur quæſtio, aut ſi non poßit cohiberi humana curioſitas, quin ſibi indulgeat, ut caveat definire. Nos, quando ſententiam noſtram aperimus, moderatè timidèq; id facimus, &c.* Cordatior Calvinus eſt lib. 2. inſtitut. c. 17. §. 6. p. 181. ubi poſteaquam copioſius probavit, *Chriſtum ſua obedientiâ verè nobis gratiam apud Patrem eſſe promeritum*, ad quæſtionem, *an ſibi ipſi meruerit ? quid opus fuit*, ait, *deſcendere unicum Dei filium, ut ſibi acquireret quicquam novi ? Non Filij utilitati conſuliſſe dicitur Pater in eius meritis, ſed eum tradi-*

diſſe

disse in mortem, neq; pepercisse, quia mundum diligeret: & notandæ sunt locutiones Propheticæ: puer natus est nobis &c. inde enim colligimus, rationem non habuisse sui; idq; clarè affirmat dicens: pro illis sanctifico meipsum: se enim sibi nihil acquirere testatur, qui fructum sanctitatis suæ, in alios transfert &c. Sic per omnia orthodoxè h.l. Calvinus, quem sequuntur Marloratus in cap. 4. ad Gal. Polan. syntag. lib. 6. c. 26. p. 424. seqq. Prolixè contra Bellarmin. disputat Pareus, in cap. 8. ad Rom. pag. 792. & cap. 2. ad Hebr. pag. 112. Quod si per omnia Sacræ Scripturæ testimonia, quæ finales Christi incarnati, passi, crucifixi, causas exponunt, eamus, nullibi vel vestigium, quo ad opinionem Bellarmini, Piscatoris, & qui his adstipulantur, *Christum* scil. *sibi, ipsi propriè meruisse gloriam*, ducamur, invenimus. Conf. Esa. 9,6. Zach. 9,9. Matth. 18, 11. Luc. 19,10. Joh. 12,46. Gal. 4. v 4. & 5. 1. Tim. 1,15. 1. Joh. 3. v. 8. Quæ sigillatim aliâs explicantur, & vindicantur. *Per tolerantiam rerum adversarum*, quæ Grotij verba sunt, *Christum in gloriam suam ingressum esse*, & hoc pacto ipsi regnum dispositum fuisse, novimus & amplectimur, sed quod eâdem *tolerantiá, sibi regnum & gloriam propriè acquisiverit*, non legimus. *Ecclesiam sanguine suo*, adeòque acerbissimorum cruciatuum, & mortis ipsius tolerantiâ acquisivit. Act. 10,28. unde fideles dicuntur *populus acquisitionis*, 1. Pet. 2,9. non sibi gloriam, quippe quam ex gratiâ consecutus est. Phil. 2. v. 9. In nos homines fructus, passionum exantlatarum redundat, non in ipsum patientem; quanquam passiones superatas, ex decreto divino, gloria secuta sit: de quo ordine, ipse loc. cit. Christus loquitur, ut & Luc. 17. v. 24. & 25. itemque Petrus 1. Epist. 1. v. 11. juxta quæ testimonia, etiam dicta Phil. 2. v. 9. Hebr. 2. v. 9. sunt explicanda. Conf. Gerhard. uber. exeg. loc. 4. de personâ & Offic. Christi §. 330. p. 1574. seqq. disput. de resurrect. §. 30. & seqq. Feurbor. Fasc. 4. p. 388. & fascic. 5. pag. 85.

§. 14. Sed nonnihil propius ista paterna διάθεσις inspicienda est, ut, *qualis ea hoc loco sit*, accuratius percipiatur. Vocabuli διατίθημι usus, apud & profanos, & sacros Scriptores, multiplex & varius est. Interdum enim latè significat compono dispono, aliâs administro, operor, efficio, itemq; concorditer constituo, ut & venale expono, venundo: tandem testor, aut testamento ali- — Qualis sit paterna dispositio?

quid hæredibús mando: quas ſignificationes etiam pleraſque, nomina διάθεσις & διαθήκη, diverſis in locis habent, ut diſpoſitionem, adminiſtrationem, operationem, teſtamentum, fœdus &c. notent. De profanis Lexicographi videantur. Inter ſacros LXX. nonnullis editionibus. (nam Vatablus & Regia aliter habet,) voce διατίθεμι reddiderunt Hebræum נתן, quod & multiplicis uſus eſt, Hoſ. 11. v. 8. τί σε διαθῶ ἐφαὶμ &c. item קום in Hiphil Gen 9. v. 17. τὸ σημεῖον τῆς διαθήκης ἧς διαθέμην &c. שלם ibid. in Hiphil 1. Paral 19. v. 19. οἱ παῖδες Ἀδαδέζερ διέθεντο μετὰ Δαβίδ. In N.T. præter hunc noſtrum locum, in Actis Apoſtolicis ſemel, in Epiſt. ad Heb. aliquoties, & ſemper quidem nomini διαθήκῃ adjunctum legitur, ac ubique adhibetur ad deſcriptionem fœderis gratiæ, quod cum Patriarchis eorumque poſteris, totoq; humano genere, Deus inijt, in quo Meſſiam Filium ſuum, ſalvatorum & redemptorem promiſit, ac per eum & propter eum, omnibus in ipſum credentibus, remiſſionem peccatorum, juſtitiam, & vitam æternam, eſt pollicitus. Hoc loco, pro diverſitate perſonarũ de quibus uſurpatur, omninò diverſimodè, (non obſtante particulâ καθὼς, quippe quæ non ſemper, imprimis hoc textu, nullo modo ſimplicem æqualitatem indicat,) accipienda eſt. Nam aliter à Chriſto diſcipulis, alijsque pijs & fidelibus, aliter Chriſto ipſi, à Patre facta eſt regni διάθεσις. Illis hoc modo, ut Chriſtum Meſſiam, unicum mundi ſalvatorem agnoſcant, ut in eum firmiter credant, omnemque in ipſius merito collocatam habeant conſequendæ ſalutis fiduciam, ut ex fide, ipſius ſequantur exemplum, imitentur virtutes, cruci & calamitatibus humeros ſuos ſubmittant, &c. ac in his omnibus conſtanter perſeverent. Longè aliter Chriſto Dei Filio; cujus ratio ut intelligatur, retrò in ipſam æternitatem, eundum eſt, in quâ ante jacta mundi fundamenta, initum divino modo de genere humano, cujus lapſus præviſus fuit, redimendo conſilium, factum decretum, ejuſque ſuo tempore exequendi, ordinata & conſtituta media: ubi ſalutis noſtræ jam tum cum æterno Patre & Spiritu Sancto, ſitientiſſimus Dei Filius, ſeſe Mediatorem obtulit ſtititque, ac in ſe recepit forè, ut cum ex creaturis fruſtra humanum genus auxilium expectaturum eſſet, ipſemet ſeſe hominibus mixturus,

eorum

eorum in personæ unitatem assumpturus naturam, in eâq; ipsorum peccata, sanguine & morte suâ expiaturus, satisfacturus legi, iram placaturus, justitiam & vitam acquisiturus, quam per Evangelium omnibus toto orbe mortalibus oblaturus, credentibus autem ipso opere collaturus esset. Accessit divina εὐδοκία, placuit ex infinitâ sapientiâ subministratum consilium, & oblatum ex immenso amore auxilium: factus est communi beatissimæ Trinitatis voluntate, & destinatus omnibus hominibus Filius Dei, *sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio.* 1.Cor.1,30. Simul tamen liberè decretum, ut, cum clementissimus Consiliarius, & futurus auxiliator, plurimas in carne assumendâ injurias, contumelias, contemptum, paupertatem, cruciatus, mortem ipsam, & quidem crudelissimam acerbissimamque, (quæ omnia pro peccatis humani generis λύτρον futura essent,) subiturus sit, atque exantlaturus; idem etiam, juxta eandem, adeòque ut homo quoque, cunctis, quæ superanda essent, superatis, ad majestatem divinam, gratiosè exaltetur, & tum totius universi, rerumque omnium creatarum, potentissimus moderator, tum Ecclesiæ in terris militantis, benignissimus Monarcha, tum regni in cœlis beati, gloriosissimus Rex fieret. Atque hæc est ad Scripturæ Sacræ, fideique anologiam ductum, illa διάθεσις, quâ Christo Dei Filio, regnū ab æterno dispositum, ad cujus majestatem, etiam quâ homo, in tempore evectus, cujus administrationem actualem, ex ordine divinitus constituto, suscepit, in quâ hodieq; versatur, mansurus Rex in omnem æternitatem. Unde sat patet, quantum inter διάθεσιν hanc, quâ ipsi, & alteram, quâ Apostolis, & fidelibus regnum dispositum est, discrimen agnoscendum.

§. 15. Ad *cives hujus regni*, duce Christo & textu nostro, progredimur: qui hîc sunt Apostoli, ad quos, sedatis nonnihil inter ipsos ambitiosis affectibus, Dominus, *Ego* inquit, *dispono vobis regnum.* Apostolos autem dum dicimus, *non intelligimus primum omnes*, qui ad Apostolicum munus fuerint vocati. Excludendus enim omninò Judas Ischarioth, ipse quidem etiam Apostolus, Matth. 10 v.4. Sed factus fur infamis, Joh. 6. v. 70. quippe Dominum suum ejusque opera, apud scribas & Pharisæos, hostes ipsius, mendacissimè calumniatus est, adeòq; se ministrum & organū Diabolo, sponte & deliberato consilio præbuit; factus planè

Qui sint cives regni:

Diaboli mancipium, in quod intravit, Luc. 22. verſ. 3. ac tandem ſceleratiſſimus proditor, Matth. 26. v. 48. Hic enim acceptâ offulâ è Chriſti manu, (non pane Euchariſtico, in quâ opinione Origenes fuit, Conf. ejus commentarium in cap. 13. Joh. ſed communi) exierat, ut è cœnaculo, ſic etiã ex Chriſti & Apoſtolorum cōmercio, ad quod nunquã rediit: exierat, ad Chriſti hoſtes, licet expreſſis verbis hiſtoria id non commemoret, in domo Caiphæ, à ſanguinolento concilio expectatus, exierat plenus, ut conjicitur, in Chriſtum furijs, & odio, quo ſcelus animo ipſius conceptum, Apoſtolis reliquis, jam ex porrectâ buccellâ, detectum fuerat: Ut igitur non referendus ad eos, ad quos Chriſtus: *Vos* ait, *permanſiſtis mecum in tentationibus meis*, ſic neq; hujus regni *διάθεσις*, ad eum ullo modo ſpectat: alio ipſi verbo, exitum Chriſtus expoſuerat, Matth. 26. v. 24. *Væ homini illi, per quem Filius hominis traditur: bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille*; quo mala ipſa eventura, tum temporalia tum æterna, prædixit, minatus eſt, & certo modo deploravit. Rectè Theophyl. in cap. 22. Luc. *Chriſtus Iudæ proditori væ adiudicavit, à diſceſſu autem, ad reliquos diſcipulos dixit: Vos eſtis, qui manſiſtis mecum in tentationibus, ideò & mercedem vobis diſpono* &c. Ergò undecim Apoſtolis facta regni cœleſtis *διάθεσις*: tametſi enim illi, à Satanæ inſidiis non prorſus liberi extiterint, qui id unicè egit, ut *ipſos cribraret, ſicut triticum* Luc. 22. v. 31. etſi interdum penè ſuccubuerint, ad meliorem tamen, à Magiſtro ſuo revocati, redierunt mentem, a eòque in priſtinam gratiam fuerunt reſtituti, in quâ etiam divinâ ope perſtiterunt. *Nec tamen, quod alterum, Apoſtolos ſolos intelligimus*. Sane ijs ſolis id temporis hæc dicta fuiſſe, ex hiſtoriâ manifeſtum eſt, at, quod quæ dicta ſunt, ſimpliciter ad ſolos eos, aliis fidelibus prorſus excluſis, ſpectarint, non eſt ſentiendum. *Sunt, quæ Apoſtolis à Chriſto promiſſa fuerunt, in triplici, uti notum, differentia. Quædam* ijs tantum propria aut cum alijs per paucis communia, quò pertinet promiſſio doni edendorum, miraculorum, Matth. 10. v. 8. Effuſionis Spir. S. & inde notitiæ divinorum magnalium, varijs linguis toto orbe deprædicandorũ, ut & momentaneæ ad reddendam fidei rationem inſtructionis, cap. cit. v. 19. ac id genus alia plura. *Quædam* & ijs, & ſimul cunctis Eccleſiæ miniſtris legitimè vocatis, dicta: qualia ſunt, quæ ſimpliciter ad officii Eccleſiaſtici adminiſtrationem requiruntur, promiſſio neceſſariæ

rum docendi donorum, laborum successus, defensionis adversus hostes, &c. *Quædam* & illis, & simul omnibus fidelibus, sub ipsorum personis proposita; quò tum plures aliæ, per Evangelistarum monumenta sparsæ, tum imprimis suavissimæ promissiones, quas προσαγώνιος Christi concio, ab Evangelistâ Johanne descripta, comprehendit, referenda. vide cap. 14. v. 2. & seqq. cap. 15. v. 4. & seqq. cap. 16. v. 23. & seqq. quibus merito subscribendum, quod alibi Christus dicit: Marc. 15. v. 37. *Quod vobis dico, omnibus* (credentibus) *dico*: Atque hinc etiam præsentem regni beati διάθεσιν, si res ipsa, seu ipsum in se regnum spectetur, accensendum judicamus.

Apostolorum in regno hoc prærogativæ.

§. 16. De reipsâ, seu regno cœlorum in se considerato, disertè loquimur: Quodsi enim *accidentales quasdam eius circumstantias* attendamus, nullo modo negatum imus, nonnulla viris Apostolicis, ex merâ tamen gratiâ, singulariter disposita esse, quibus reliquos de grege beatos, antecellunt. Habebunt enim illi ad latera Christi judicaturi, peculiares, ut verba immediatè sequentia ostendunt, sedes & thronos, non nisi ipsis paratos, ut unà cum supremo judice, suo modo judicium administrent; ubi non materiales & corporei throni, quales in mundo judices occupare solent, sed amplioris tantum honoris, qui tamen exactè sciri nequit, gradus, intelligendus. notante Theophylacto in cap. 19. Matth. ad v. 28. Ἄρα καθεσθήσονται (οἱ Ἀπόστολοι) οὐχί, ἀλλὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν τιμὴν, διὰ τῆς καθέδρας ἐδήλωσε. Tametsi enim omes sancti & fideles, ubi prius sese coram tribunali Christi stiterint, mox ad dignitatem judicandi, veluti quidam judicij assessores, sunt evehendi, ut suas quoque partes, approbando, testificando, &c. exequantur. de quo generaliter Apost. 1. Cor. 6. v. 2. *an nescitis, quod sancti mundum*, i. e. homines in mundo impios, ut & *Angelos* apostatas, judicabunt? Conf. Matth. 12. versf. 40. & seqq. quo etiam verba Christi Luc. 11. v. 19. *Filij vestri erunt judices vestri*, à quibusdam applicantur. Conf. August. l. 20. de civitate Dei cap. 5. Dubium tamen esse non debet, Apostolos in ultimo judicio, quandam honoris gloriæq; prærogativam, præ reliquis electis habituros, & futuros Christi proximos, quasi regni cœlestis proceres & primores. Conf. D. Gerh. in h. l. Quemadmodum enim ijdem ampliora gloriæ præmia, in cœlis æternum possidebunt.

bunt, quam alij, qui ipsis zelo, labore, calamitatũ tolerantia &c. pares in hac vitâ non exstiterunt, sic in ipso statim judicio, & priusquam plenè in gaudia Domini ingrediantur, eorundem quasi primitias percipient: id quod jam antea Christus ipsis fuerat pollicitus, Matth. 19. v. 28. *Vos, qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit Filius hominis in majestate suâ, etiam sedebitis, super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Quia enim Apostoli singulari modo Christum, relictis omnibus, promptè, ad vocationem secuti fuerant, ac majoribus sese periculis & persecutionibus, quam alij fideles objecerant, ideò etiam peculiaris ipsis honor & gloria accidentalis, promittitur. Quod vel ipse Pareus comment. in Matth. 19. pag. 502. non diffitetur, inquiens: *Quando sessio Christi in throno gloriæ manifestabitur, tunc haud dubiè etiam sessio Apostolorum implebitur: Etsi enim omnes sancti tunc judicabunt mundum & Angelos,* 1. *Cor.* 6. *tamen proximæ à Christo partes, tunc haud dubiè erunt duodecim Apostolorum, iuxta promissionem, qui tanquam pedanei iudices, sedendo & subscribendo iudicis Christi sententiæ, tribus Israëlis iudicabunt, &c.* Quamvis autem omninò concedendum, verba Christi Apostolis hoc loco, amplioris in futurâ vitâ & regno cœlorum dignitatis, spem facere; non tamen propterea, reliqui fideles prorsus hinc removendi, ut dulcissimam promissionem, nullo modo ad se pertinere, credere cogantur. Est quidem, ut ex ipso contextu ejus rei rationem petamus, aliquod discrimen inter Apostolorum διαμονὴν in tentationibus Christi, & aliorum fidelium, neque enim fieri potest, ut per omnia conveniant, interim tamen, genere eadem omnium est perseverantia, omnibus mandata, Matth. 24. v. 13. Apoc. 2. v. 10. ab omnibus, si salvi fieri velint, præstanda: eodem modo, non deneganda Apostolis in διαθέσει regni cœlorum, peculiaris dignitatis, licet accidentalis, gloria; sed tamen ab ipsâ διαθέσεως promissione, alii fideles, non penitus excludendi. Et rectè ex hoc loco, tanquam ordinariâ præter alias, sede, petuntur argumenta tum exhortatoria, ad constantiam in perferendis pro Christiano nomine persecutionibus, tum consolatoria, ex insigni præmio, cunctis in fide & patientiâ perseverantibus, promisso, fore se, ut, *quemadmodum participes sunt in tribulatione & patientia Iesu Christi, sic etiam regni fiant participes.* Rom. 8. v. 18. 2. Cor. 4. v. 17. 2. Tim. 2. v. 12. Apoc. 1. v. 9.

§. 17. Ex dictis facilè liquet, qualis ea sit διάθεσις, quâ regnum cœlorum Christus, Apostolis aliisq; fidelibus disposuit. Partic. καθὼς cujus etiam §.13 mentio facta, æqualitatem utriusque διαθέσεως, sc. quâ à Patre Christo, & quâ à Christo Apostolis aliisque electis, regnum dispositum est, notare videtur. Sed quod §. dicto innuimus, varia est illius, aliarumque id genus, quibus rerum diversarum comparatio significatur, acceptio: Sanè, exprimit nonnunquam omnimodam, sine ullâ rei exceptione, æqualitatem, quo sensu extat Joh. 5. v. 23. *Omnes honorent Filium, καθὼς sicut honorant Patrem*, Eph. 1. v. 4. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali &c. καθὼς, sicut elegit nos in Christo, &c.* ubi benedictio in tempore secuta, cum factâ prædestinatione, ante jacta mundi fundamenta confertur, quod ijsdem utraq; causis constet, quod tamen non comparandi verbo, sed rerum ipsarum collatarum naturæ & statui, est tribuendum. Aliâs plerumque qualiscunque similitudinis & convenientiæ nota est, ubi Regula doctissimi Flacii part. ult. clav. tractatu 4. de tropis. pag. 354. observanda. *Sæpe similitudinis particulæ, non de modo, sed de facto, non de caussa effectus aut etiam ratione, sed de exemplo, non de specie, sed de genere, non de omnimodâ & perfectâ, sed aliquali convenientiâ sunt intelligendæ.* Exempla magno munero sunt obvia. Matth. 5. v. 48. Luc. 6. v. 36. Joh. 17. v. 21. & seqq. Rom. 5. v. 19. 1. Cor. 10. v. 16. & seqq. Quibus etiam hoc nostrum adscribendum, in quo Christus nullam specialem, sed tantum generalissimam duarum διαθέσεων regni, comparationem instituit. quod, quemadmodum in quæstione ὅτι ἐστι, sibi à Patre regnum sit dispositum, sic & ipse Apostolis & fidelibus, idem disponat, item: quod quemadmodū sibi Regia majestas & regnum, juxta humanam naturam ex gratiâ, vocabulo generaliter sumpto, contigerit, sic & ipse hominibus credentibus, vitam beatam ex gratiâ conferat. quod sicut ipse, non nisi post superatas passiones, in gloriam suam intraturus sit, sic nec illi, nisi per multas tribulationes, in regnum cœlorum sunt ingressuri. Longius progredi in comparatione vix licet; Nam si ad speciales exire circumstantias velimus, omnis expirat comparandi ratio; confer quæ §.13 allata sunt, ubi διάθεσις quâ Pater æternus Christo regnum disposuit, breviter descripta est, ad quam, si altera, quâ hominibus piis idem disponitur, adhibea-

Vocula καθώς.

adhibeatur, ingens per omnia discrimen sese offert, quod cuivis facilè obvium, ut per singula ire membra, supervacaneum videatur. Hæc, de quâ nunc quæstio est, διάθεσις, haud difficulter, qualis sit, percipiemus, si salutis nostræ provehendæ sancitum & revelatum ordinem, si causas ejus principales & instrumentales, ex parte Dei & hominum, si modum & formam, si objecta, si fines & effectus, aliaque id genus, nobiscum meditemur. Nam sicut æterna hominum quorundam ad salutem prædestinatio, in Christo fide apprehendendo, non verò absolutè facta est, ita ut nullius ordinis ratione habitâ, simpliciter pro εὐδοκίᾳ, Deus hunc vitæ & saluti judicârit, illum præterierit, & sic morti destinarit; sic etiam regnum cœlorum disponitur, in Christo fide apprehendo, quæ fides postquam Christum ejusq; meritum, quod primum ejus opus, complexus est, variis vacat pietatis exercitiis, Deum tàm clementem & benignum diligit, veneratur, adorat, laudat, voluntati ejus sese humiliter submittit, fert patienter immissam divinâ manu crucem, ab eo mitigationem sive liberationem spe firmâ expectat, proximo charitatis opera præstat, justitiæ, honestatis, sobrietatis, castitatis, veracitatis amans, officii commissi partes, secundum virtutem, quam Deus subministrat, strenuè, in ipsius gloriam & proximi utilitatem, exequitur. Quæ & alia hujus generis plura, mandato legis comprehensa, ad ordinem à cunctis, qui sibi quoque regnum cœlorum dispositum esse, certiorem à posteriori spem haberere cupiunt, religiosè observanda.

Bona regni.

§. 18. Supersunt *bona*, civibus, quibus regnum disponitur, in eodem parata: quæ omnia Christus complectitur, cum se *mensæ suæ*, ipsos, *ut super eam in regno suo comedant & bibant*, adhibiturum pollicetur. Facessant hîc in limine, profana Judæorum & Mahumeti deliria, sive de ingenti quodã pisce, quem Deus jam olim occisum & salitum servet, ut comedendum in alio seculo justis apponat. Sive de carnalib⁹ & obscœnis voluptatibus quos omnes virtutes amantes, in ejus præmium, sint percepturi. *Non est regnum Dei cibus & potus*, inquit Apostolus, Rom. 14. v. 17. loquens & de gratiæ & gloriæ regno, ad quæ cibus potusque propriè sic dicti, nihil conferunt, in quibus jam occupatis, locum nullum habent. Est uti in vulgus etiam notum, Scripturæ Sacræ, & Spiritus S. in eâ loquentis consuetudo, ut quicquid

Quid comedere & bibere?

quid vita hæc naturalis, quicquid hominum inter se conversatio, læti bonique possidet, quicquid desiderabile habet & amabile, id ad spiritualia gaudia, tum ea quæ regno gratiæ in hac vita, tum præcipuè, quæ regno gloriæ propria sunt, transferat, ut hisce demum omnis felicitatis lætitiæque complementum & promptuarium contineri, innuat: *In regno gratiæ*, spirituale commedere & bibere est, tum verbum prædicatum libenter ad aures & animum admittere, & cum studio obtemperandi audire, Prov. 9. v. 5. *Venite commedite panem meum*. Conf. Jerem. 15. v. 16. & Ps. 34. v. 9. tum Christum ejusque beneficia in Evangelio & Sacramentis oblata, fide percipere, Ioh. 6. vers. 50. seqq. ad interioris hominis augendas, & quodammodo saginandas vires. Esa 55. v. 1. seqq. Malach. 4. v. 2. *In regno gloriæ*, est omnis, & dignitatis, & gaudii, quæ electis parata sunt & promissa, participem esse, iisdemque ipso opere frui. Ambrosius in h. l. tom. 8. lib 10 in Luc. p. 153. breviter: *Non nobis victus & potus præmij loco spondetur, & honoris, sed communicatio gratiæ cœlestis & vitæ*. Nonnihil latius Theophylactus pag 516. *Comedere & bibere dixit Christus non quasi edulia illis* (Apostolis) *sint posita, ipse enim, per ea quæ Sadducæis locutus est, docet, quod conversatio illis sit angelica, & Paulus docet, regnum Dei non esse cibum & potum. Ne quis igitur erret, audiens hic edatis & bibatis super mensam, sed cogitet quod dictum sit ex metaphorâ eorum qui à Regibus honorantur: nam qui cum Regibus cœnant, videntur primos honores sortiri. Hoc igitur de Apostolis dicit, quod apud se omnibus aliis præferantur.* Idem sensus est aliorum Scripturæ locorum, huic nostro παραλλήλων, Ps. 36. v. 9. *Inebriabuntur, qui in te sperant, in pinguedine domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ.* Esa. 26. v 6. *Faciet Dominus convivium pinguium, convivium vini defecati &c.* quod oraculum primò quidem regnum gratiæ, sed tamen & gloriæ respicit, c. 65. v. 13. 14. *Ecce servi mei lætabuntur, ecce servi mei comedent, ecce servi mei bibent, &c* Conf. in N. T. Matt. 5. v 6. c. 8. v. 11. Ioh. 10. v. 9 ubi regnum gloriæ nuptiarum nomine adumbratur, ob rationes plurimas, quas hîc scientes præterimus.

In regno gratiæ.

In regno gloriæ.

§. 19. Ergo, quod modo dictum, *comedere & bibere in mensâ & regno Christi, est cœlesti gloriâ coronari*, quæ duo præcipuè comprehendit, sc. *maximum honorem, & gaudia incomparabilia*.

Cœlestis gloria duo comprehendit.

Honorem. *Honoris est*, & amplissimi quidem, Christi mensæ in ejus regno assidere. Fuit omnibus seculis honoris non exigui loco habitum, si quis Regis seu Principis alicujus mensæ adhiberetur: quo ex sacris referenda, quod David, reportatâ à Goliatho insperatâ victoriâ, novilunij die, ad convivium à Rege Saule admissus est, 1.Sam.20.v.18. & seq. quod idem postea Rex factus, Mephibosethum Jonathæ filium, mensâ suâ dignatus fuit. 2.Sam.9.v.7. quod eadem ab eodem oblata Barsillai Giladitæ, seni, à quo liberaliter aliquandiu in exilio fuerat habitus, 2. Sam. 19. vers. 33. Quod Evilmerodach Rex Babel, Jojachim Regem Judæ, carcere & vinculis, in quibus vitam, triginta septem circiter annos, misere egerat, exemtum, eodem beneficio prosecutus est. Profana hujusmodi honoris exempla, videantur apud Stuckium antiquitat. convival. lib.2.cap.1.pag.143. Sed quid omnes totius orbis Reges, quibus unquam potentia, majestas, opulentia, regiminis felicitas, &c. nomen dederunt, ad Christum omnium Regum Regem? quid honor ex illorum mensis, ad istum honorem, quo afficiuntur, qui in Christi regno, mensæ ejus assident? Auget maximopere honoris illius gloriam, *Christi ad mensam ministerium*, de quo ipsemet, Luc.12.vers.37. *Beati servi illi, quos, cum venerit Dominus, inveniet vigilantes: Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit eis.* Nihil hîc cogitatione concipiendum, quod statum majestatis & exaltationis Christi oppugnet, in quo non propriè ministrat, sed gloriosè imperat. Sicuti enim è cœlis, in terras à Patre descendit, & aliquandiu *inter nos, caro factus, habitavit*. Joh.1,14. *non ut ipsi ministraretur, sed ut ipse ministraret*, Matth.20.v.28. *sic mundum reliquit & ad Patrem* redijt, Joh.16,v.28. ad cœlos ascendit, non ut jam amplius ministraret, sed ut ipsi, Regi ac Domino Omnipotenti, creaturæ omnes subjectæ essent, & ministerium præstarent. Absit itaque vile ministerium, quale fuit pedum Apostolicorum lotio, aut simile aliquid, quod servilem formam habet, quam omninò in suâ exaltatione exuit, ita, ut quemadmodum carnem, quam semel assumsit, nunquam deponat, sic formam servi, quam semel deposuit, nunquam resumat. Totus Christi sermo citato loco parabolicus est, quo res cœlestes & captu nostro superiores, phrasibus è communi vitâ desumptis, non-

nihil

nihil adumbrat, ut, quod & alibi facit, hujusmodi jucundissima συγκαταβάσει, animos nostros, & ad fidem constanter præstandam, & ad præstitæ constantiæ pulcherrima præmia piè perpendenda excitet. Uti itaque humanis in rebus interdum fieri solet, ut herus servis suis, qui toto die, tempore messis vel aliàs strenuè fideliterque laborarunt, diurnumq; absolverunt opus, vesperi cœnantibus adstet, cibum apponat, & obambulando, ne quid desit, humaniter curet, nullam tamen inde dignitatis suæ faciens jacturam. Sic se quoque, Christus ait, sine majestatis suæ violatione, cunctis servis suis, qui usque ad adventum ipsius, noctu & interdiu, fide, precibus, virtutis studio, vigilarunt, mensæ suæ gloriosè admotis, omnia, quæ votis conceptis expetere, imò & plura quàm expetere possunt, ad plenissimam felicitatem præstiturum, adeòque tanto eos honore, quantum expectare nunquam ausi fuissent, affecturum pollicetur. Gregorius Magnus, aliâ viâ sensum verborum Christi investigans, *transiens* inquit *Dominus ministrat, quia lucis suæ illustratione nos satiat, transire verò dictum est, cum de judicio ad regnum transit, vel certe Dominus nobis post judicium transit, quia ab humanitatis formâ, in divinitatis contemplationem nos elevat, & transire eius est, in claritatis suæ speculationem nos ducere, cum eum, quem in humanitate in judicio cernimus, etiam in divinitate post judicium videmus. &c.* Quæ omnia sua fecit Beda comment. in Luc. 12. tom. 5. operum pag. 352. Sed hæc, licet non omninò reijcienda, ab hoc tamen loco, & Christi scopo alieniora sunt, quod nec Maldonatus negat.

§. 20. Summum in mensa regni Christi honorem, *incomparabilia*, cingent & comitebuntur *gaudia*, quæ tum ipse honor, tum aliæ gloriosæ felicitatis partes, parient. Sedebunt enim Apostoli aliique electi ac fideles, ad mensam, & *comedent atq; bibent*: quibus verbis, quid Christus suis polliceatur, jam dictum est. §. 18. Qui accuratiores videri volunt, *τὸ edere ad intellectum, τὸ bibere ad voluntatem* beatorum referunt. *Edere*, inquiunt, *est intellectu & sapientia gaudere, bibere verò fruitione ac delectatione repleri.* Conf. Salm. in h. l. tom. 9. p. 373. Sed plus subtilioris ἀκριβείας, quam solidioris fundamenti, res habet. *Idem hîc sunt per omnia, edere & bibere*, si rem rectè æstimemus, eundem notant Gaudia.

 atque

atque unum actum, cujus objectum unum, unus finis, &c. Quemadmodum enim, quando Christi ejusque beneficiorum spiritualis perceptio, *verbis manducare & bibere*, Ioh. 6. aliquoties describitur, nequaquam sunt distincti actus intelligendi, aut etiam diversa objecta, sed actus simpliciter unus, cujus objectum est Christus θεάνθρωπος, ejusque merita & beneficia, ac tantum ad metaphoræ ibid. propositæ, & à cibo potuque sumptæ continuationem, duo verba adhibentur: Sic etiam, cum de gaudiorum cœlestium perfruitione, eadem verba ob dictam rationem usurpantur, actus non nisi unus exprimitur, cujus objectum est omne bonum, quo Apostoli aliique electi, in summâ felicitate, gloriâ & beatitudine æternæ vitæ cumulabuntur. Bonum tum *privativum*, quod per omnia ac prosus liberi erunt à peccato, ab ejusdem causis & pœnis, tum *positivum, sive internū*, quo spectat præcipuè Dei beatifica visio, quoddam quasi beatitatis compendium, unde nascetur ineffabilis lætitia ac exultatio, atque in illâ exultatione sempiterna Dei glorificatio, plena imaginis divinæ restauratio, tum in mente atque intellectu, tum in voluntate, aliisque animi viribus & facultatibus, *sive externum*, quo corpora beatorum ornabuntur. 1. Cor. 15. v. 43. & seqq. quorsum etiam pertinet suavissima consociatio cum Deo, Christo, Angelis, electis, ac tandem pulcherrima habitatio. Quæ hoc loco tantum delibanda erant, alibi persequenda uberius. Atq; hæc de germano textus propositi sensu & enucleatione.

Locus de Christi regno gloriæ.

§. 21. In μεθοδικωτέρᾳ ipsius articuli *de Christi regno gloriæ* delineatione, initiò, *qualis ea sit gloria*, à quâ hoc regnum denominatur, considerandum. Ubi Grammaticis, quæ ipsorū sunt, in investigatione vocabuli *gloriæ* propriâ, relinquimus. Videatur Martin. lexicon Philolog. pag. 1037. Nec magnopere attendimus, communem ejus apud profanos autores significationem, quibus gloria est frequens de aliquo illustris ac pervagata fama cum laude, & incorrupta vox benè judicantium de excellenti virtute, Cicero 2. de invent. pro Marcell. l. 2. Tusculan. In divinis scripturis nominis latini *gloria*, ut & Hebræi כבוד, ac Græci δόξα, usus huc pertinens, varius est. Nam tribuitur, & Deo & creaturis, & his tum personis, scil. Angelis & hominibus, tum

Vocabulum gloriæ. Cuius varius in scripturis usus

rebus

rebus. Deo cum tribuitur, vel ipsa essentialis ejus est majestas & quidem omnium essentialium attributorum, quæ Dei essentia sunt, quasi complexus, quam gloriam Moses, sed frustra, videre, cum adhùc inter mortales esset expetiit. Exod. 33. v. 18. Conf. Act. 7. v. 2. Eph. 1. v. 17. Atque hæc essentialis gloria, simplicissimè in divinis una est, uti essentia ipsa, ut hîc gravissimè hallucinentur, qui pro distinctione personarum multiplicant gloriam, quorum Dux & Antesignanus, Matthias Mart. in Menzero antinuth. cap. 14. pag. 337. Ubi *tres*, inquit (in divinitate) *sunt personæ, quarum unamquamque Regem dicimus: Una igitur in divinitate est gloria essentialis, sed triplex personalis.* Ad quem merito Menzerus, gravissimè & non sine pietatis Zelo, Tom. 6. Giess. disput. 18. §. 252. pag. 358. *Decetne*, ait, *hic sermo eum, qui Arianos & Samosatenianos refutare instituit? Num, quia qualibet persona divinitatis est Deus, Rex, omnipotens, ideò tres sunt personales Dij, Reges, omnipotentes? Inspice Symbolum Athanasianum, & corrige errorem exitiosissimum; una est gloria, & maiestas divina, ut una essentia, ex æquo communis tribus personis. Finge tu gloriam triplicem personalem, & habebis primam gloriam Patris, à secundâ gloriâ Filij distinctam, tàm verè & realiter, quàm verum & reale discrimen est, inter personam Patris & Filij. Falsum igitur erit, eundem esse honorem & gloriam Patris & Filij. Apoc.* 5. v. 13. &c. Vel *gloriosa Dei & magnifica opera* ob oculos ponit, *vel celebrationem gloriæ ex maiestatis & operum eius agnitione ac meditatione ortam*, notat: Huc gloriam referimus etiam eam, quæ Christo θεανθρώπῳ juxta humanam naturam adscripta, passim in sacris literis legitur. Joh. 1. v. 14. *Vidimus gloriam ejus, &c.* cap. 17. v. 15. *Glorifica me Pater ea gloria, quam habui apud te*, cap. 2. v. 11. *Manifestavit gloriam suam &c.* Matth. 24. v. 30. Luc. 21. v. 27. Marc. 13. v. 26. veniet *Filius hominis in nubibus cum virtute & gloria multa.* quæ, & aliâ Scriptura testimonia, de gloria infinita & mere divina, Christo juxta carnem per & propter unionem personalem communicata, loqui, alibi ostensum est. Conf. disput. de secundo genere communicat. idiomat. ex Dan. 7. v. 13. & 14, §. 26. seqq. præter quam gloriam, etiam alia ipsi habitualiter & subjective inhærens, competit, quam cum beatis com-

communem, quamvis non juxta πόσον ut Theodoret. ait, habet. Philip. 3. v. 21. Inter creaturas *Angeli*, qui in veritate perstiterunt, *primi sunt*, quorum gloria æterni Patris & Christi Filii gloriæ annectitur, Luc. 9. v. 26. *Filius hominis veniet ἐν δόξῃ in gloriâ sua & Patris, & sanctorum Angelorum*, qui & ipsi tanquam ministri ad solennem universalis judicii actum aderunt, ab eodem splendidissimè ornati: sicut Imperator aliquis, publico ingressu non ipse tantum magnificè incedit, sed ut & ministrorum atq; aulæ principum habitus, splendori respondeat, curare solet. *Quid est*, inquit ad verba citata Ambrosius, *& sanctorum Angelorum, nisi quod honorantur, ut servi Domini? Proximi angelis* sunt *homines*, de quorum, quâ hâc in vitâ, sive solida, sive vana fruuntur, sive ut fruantur laborant, gloria, nunc non agimus, quippe quæ cum regno gloriæ, quod nostrum argumentum est, aut parum, aut omninò nihil habet commercij. Gloriam, quæ huc pertinet, celebrat Apostolus, 1. Cor. 15. v. 44. *Surget in gloriâ*. Ubi sicut τῇ ἀτιμίᾳ opposita, quicquid humano corpori dedecus aliquod afferre potest, in hâc vitâ, sic τῇ δόξῃ, quicquid in futura illud condecorabit, complectitur, omnes scil. illas gloriosas qualitates, quibus ἰσάγγελοι beati futuri sunt. Matth. 22. v. 30. Conf. Phil. 3. v. 1. 2. Cor. 4. v. 13. Colos. 3 v. 4. Præter Angelos & homines, etiam *cœlum & domicilium* beatorũ, suâ splendescit gloriâ, quam Johannes in Apoc. cap. 21. nonnihil ex visione sua adumbraturus, *se vidisse*, ait, *civitatem sanctam Ierusalem, descendentem de cœlo, habentem δόξην claritatem Dei & lumen, quod simile lumini Iaspidis, cuius fundamenta è lapidibus pretiosis, portæ è margaritis extructa fuerint.* Conf. cap. 21. v. 10. & seqq.

Gloria huic regno propria.

§. 22. Omnes istæ, ut sic loquamur, gloriæ, diverso modo, in hoc Christi regno concurrunt, ut ab ijs gloriæ regnum meritò dicatur. *Ortum enim habet ex Deo* glorioso, cujus gloria, licet etiam in regno potentiæ, variè pulchreque luceat, longè tamen amplius per hoc regnum est diffusa. *Enarrant cœli, gloriam Dei creatoris sui.* Psal. 19. v. 1. Sed longè majoribus eam laudibus extollit cœlum, quod beatis sedem præbet, tantò scil. majoribus, quanto splendidius, & plures majestatis divinæ in se habet radios, *Regem habet Christum*, juxta utramque naturam gloriosum, qui, quamvis etiam Ecclesiam & regnum gratiæ, gloriâ

suâ

suâ, modo non uno, exornet, *dat enim & gratiam & gloriam, ambulantibus in innocentiâ, & sperantibus in eo*, Psal. 84. v. 12. & 13. in quâ *gloria justi exultant*. Psal. 149. v. 5. Obscurior tamen ea est atque occultior, tecta nubibus crucis & calamitatis, imò & deformata peccati reliquiis. *Nam omnis gloria filiæ Regis est ab intus*. *Ps.* 45. *v.* 14. fidei potius est, quam visionis. *Cives habet & incolas omnes gloriosos*, electos, tum Angelos, tum homines, licet non ex ijsdem causis, illi & isti, gloriæ dona possideant. Nam Angeli, certo modo ex primæ creationis, at præcipuè ex eâ, quæ post ad ipsorum fidem secuta est, confirmationis gratiâ, gloriosi sunt. Beati verò homines, ex Christi Regis merito, quo ut peccatorum remissio & justitia, sic etiam cœlestis gloria ipsis parta est. Est tamen gloria quâ fulgent, eadem, ita, ut hoc nomine homines beati ἰσάγγελοι Angelis similes, dicantur. Matth. 22. v. 30. Eadem non absolutè, per omnia, cum non ejusdem naturæ sint Angeli cum hominibus, & hinc nec capaces gloriæ, quæ istis certo modo propria est. *Omnes iunctis vocibus divinam celebrant gloriam*, eique laudes dicunt, licet homines, modo longè, quam in hoc regno gratiæ fieri potest, gloriosiore. Quò referenda Scripturæ dicta, Ps. 48. v. 5. & 126. v. 1. Esa. 35. v. 10. & 9. c. v. 5. 8. seqq. cap. 19 v. 1. seqq. Conf. August. lib. 22. de Civ. D. cap. 30. *Locus ipse & habitatio*, uti §. præced. dictum, *gloriosus*, ornatissimus, pulcherrimus, ut omnem hujus mundi gloriam, omnem mundanorum regnorum sive Salomonis, sive Ahasveri, sive aliorum splendorem, longissimè superet. Cum itaque omnia in hoc Christi regno, per omnes ferè circumstantias sint gloriosa, quod de Regnis potentiæ & gratiæ, quibus aliàs sua etiam gloria constat, ita dici non potest, meritò hoc nominis obtinet, ut gloriæ regnum appelletur, potentiâ & gratiâ inde non exclusis.

§. 23. Gaudet verò hoc quoq; regnum, uti præcedentia, diversis in Scriptura appellationibus. Dicitur enim *Regnum absolutè* & κατ᾽ ἐξοχὴν, hoc, quem exposuimus, loco; & Luc. 12. v. 32. *Complacuit Patri vestro dare vobis regnum*. Erigit ibi Christus Apostolorum aliorumq; fidelium animos, &, quantũ in se, à metu liberat: *Nolite*, inquit, *timere, pusille grex*; mox hanc ponderosissimam subijciens rationem, quod ipsis decretum regnum sit, ubi sensus non est, quod inter pericula hujus vitæ, inter fu- Diversa duius regni nomina.

rores.

rores & insidias Satanæ, mundi, persecutorum, nimis metuatis, nemo enim vos, de gaudiis in regno meo vobis paratis, deturbabit, stat gloriæ meæ regnum, cuius Rex ab æterno constitutus sum, in eo vobis à Patre meo & me, paratæ sedes, ut eas suo tempore occupetis, & mecum regnetis: Ego Rex supremus, qui hoc regnum sanguine meo acquisivi, vos quoque sub me Reges, sicut in regno gratiæ facere incepi, sic plenè faciam, in regno gloriæ. *Reges faciam coram Patre meo cœlesti*, Apoc. 1. v. 6. Cur absolutè regnum vocetur, ratio facilè obvia est, quia scil. in eo omnia, quæ regnandi majestatem quocunque modo obscurare possunt, prorsus è medio sublata, hostes omnes, peccatum, Diabolus, mundus, mors, infernus, superati prostratique, & Rex & cives in summâ & ineffabili gloria æternum regnant. Apoc. 20. 6. Crebrò vocatur *regnum Dei*, Marc. 9. v. 49. cap. 11. vers. 14. & 24. Luc. 13. v. 28. cap. 28. v 24. quod nomen licet suo modo cum regno potentiæ & gratiæ commune habeat, peculiariter tamen & singulari ratione sibi vendicat, tum, *quod de eo parando prima* ut sic dicamus, *Deo cura fuerit*, & hujus causa, atque ut isti servirent, duo reliqua, maximâ partem instituta. Universus enim mundus quem potentia divina moderatur, Ecclesiæ militanti & regno gratiæ partim hospitium præbet, partim famulatur; ipsum verò gratiæ regnum, ideò, ut ex eo in regnum gloriæ fideles transferantur, institutum, adeòque huius veluti quoddam plantarium est: tùm, quod in eo majestatem suam divinam uberrimè, atq; amplius, quàm in regno potentiæ & gratiæ capere animus potest, Deus manifestet: tum quod cœlestium bonorum abundantissimâ copiâ, beatos cumulet, tum quod seipsum coràm, de facie ad faciem, non, vel obscurioribus naturæ vestigijs, vel per speculum in ænigmate, quæ ejus videndi in hàc vitâ ac regno potentiæ & gratiæ rationes sunt, contemplandum exhibeat: tum deniq;, quod immediatè omnia in omnibus sit, æternumq; maneat. 1. Cor. 15. v. 28. *Regnum Patris cœlestis* appellatur, Matt. 13. v. 43 c. 26. v. 29. tum ad significandum ejus fontem, qui in divinis Pater est, ex quo, uti omnia alia, sic & gloria omnis atque majestas: qui hinc quoq; *Pater gloriæ* dicitur. Eph. 1. v. 17. à quo Filius ipse diverso respectu juxta utramq; naturâ habet, quod sit Rex gloriæ, ac gloriosè regnet; tum ut ostendatur, in hoc de-

mum

mum regno æternum Patrem, affectum ſuum paternum, amorem, bonitatem, cujus primitias in regno potentiæ & gratiæ pij percipiunt, pleniſſimè manifeſtare, ipſoque opere declarare. Quò omninò Chriſtus Salvator reſpicere videtur, cum loc. cit. Matth. 13. v. 49. inquit: *tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum*, vel rectiùs ad Græcum *αὐτῶν ſui*, id eſt: tum demum electi, reipsâ ſentient & experientur, quid ſit, Deum habere Patrem, ab eoque paternè diligi, quàm ineffabilia ex hac origine bona promanent; id quod hâc in vitâ, obſcurius fide intelligitur. Præterimus alia hujus regni nomina, quorum conſideratio ad artic. de vitâ æternâ commodius refertur. Vide D. Gerh: L. de vitâ æternâ §. 11. & ſeqq.

§. 24. Nomina ipſius Regis Chriſti, huc pertinentia, duo ſunt præcipuè; Prius extat Pſ. 24. v. 7. & 9. quo vocatur *Rex Gloriæ. Elevate portæ capita veſtra, & extollite vos portæ ſeculi, & introibit Rex gloriæ &c.* Arcam fœderis, Regem gloriæ, imò & Jehovam ibidem dici, Enjedini, aliorumq; Photinianorum commentum eſt, quam eodem nomine gaudere, Num. 10. v. 35. & c. 32. v. 20. Deut. 12. v. 17. Joſ. 24. v. 1. 1. Reg. 6. v. 2. volunt; A quibus non longè abeunt, qui ex Calvinianis, Chriſtum quidem hic Regem gloriæ dici, ſed tamen & arcam ejus typum ita appellari, tradunt; quæ Riveti in Pſ. 24. p. 245. eſt ſententia. *Rex gloriæ Deus eſt*, ſic ait, *ſed typo etiam id eſt arcæ, hæc appellatio attributa eſt, in V. Teſt. eò quod Deus promiſiſſet, ſe inter Cherubim habitaturum, hoc eſt, preces Orantium auditurum, & ad petita reſponſurum: hinc Ioſ. 3. v. 11. arca fœderis vocatur* ארון *Dominus univerſæ terræ, quia præſentiæ ſymbolum erat ab eo inſtitutum &c.* Ex falsâ hypotheſi, quod de arcæ fœderis, in templũ Salomonis recens extructũ, introductione, Pſalmus aut ſolum, aut præcipuè agat, hæc naſcitur perabſurda opinio, quam nec intentioni Spir. S., nec verborum Pſalmi majeſtati, conſentaneam eſſe, diſp. de regno potentiæ §. 1. oſtendimus. Chriſtus, & quidẽ ſolus eſt, de quo dignè religioſeq; excipiendo, Pſaltes loquitur, cujus ſermo ejuſdem eſt argumenti, cum Johannis Præcurſoris Domini concione, prædictâ Eſaiæ 40. v. 3. & 4. *Parate viam Domino* &c. Hic *gloriæ Rex*, per Hebraiſmum *Rex glorioſus*, (aliis appellationis rationibus nunc miſſis,) vocatur, non quidem ſolum, ſed tamen præcipuè ob Regnum

Diverſa Regis nomina.

 gnum

gnum gloriæ : nam aliâs uti §.22. diximus, regnum etiam potentiæ, ut & gratiæ, gloriosè administrat. Posteaquam enim superatâ morte, & depositâ formâ servi, *in gloriam suam ingressus* est, Luc.24.v.26. *& ad dextram Majestatis in Excelsis sedit*. Heb.1.vers.3. jam res omnes in cœlo & terrâ, pedibus suis subjectas, gloriosè moderatur, imprimis in regno gratiæ & Ecclesiâ, regendâ, propagandâ, tuendâ, suam declarat gloriam, *& nomen suum admirabile facit in universâ terrâ*. Psal.8.vers.2. Interim, multis modis obvoluta, & quodammodo contecta est, isthæc in regno potentiæ & gratiæ gloria, ut ferè non nisi à pijs & fidelibus agnoscatur, & celebretur. In regno verò gloriæ, ubi beati cœlorum incolæ, gloriosissimum Regem, de facie ad faciem vident, ejus gloriâ illustrantur, gloriosas sedes occupant, ubi, uno verbo, omnia sine exceptione, & quidem per Christum Regem gloriosa, demum plenissimè gloria manifestatur. Ut hinc, cum Christus Rex gloriæ dicitur, præcipuè propter hoc regnum gloriæ, istud nomen habere, intelligendus sit. Affine, & ferè idem cum hoc est, quod *Dominus gloriæ* ab Apostolis in N. T. vocatus legitur. A divo Paulo 1. Cor. 2. 8. *crucifixerunt Dominum gloriæ*. In statu quidem imæ etiam exinanitionis, adeòq; in cruce, inter latrones, hoc nomen meritò gessit, ut gloriæ Rex juxtà utramque naturam, diceretur; quippe qui semper ex despicatissimâ & contemptissimâ formâ, aliquos gloriæ radios, inter lictorum quoque & carnificum manus, etiam infami morte moriens, emisit. Verum, ex quo vivificatus, à morte rediens, *gloriâ & honore coronatus est*, 1.Pet.3.v.18. Psal.8.v.6. ut gloriosè in cœlis regnaret, pleno jam jubare gloriam majestatis suæ diffundit: ad cujus contemplationem aliquo modo admissi, tum Apostolus aliquandiu ἐκστατικός, 2.Cor. 12. v. 2. & seqq. tum Stephanus, Act.7.v.55. & 56. *A Iacobo* cap. 2 v. 1. *Nolite in personarum acceptione habere fidem, Domini nostri Iesu Christi gloriæ*. Erasmo quidem, ut vocabulum δόξης hîc non nomine gloriæ, sed opinionis vertatur, placet; unde ita Græcum textum reddit: *Ne cum respectu personarum habeatis fidem, Domini nostri Iesu Christi ex opinione*. Addit in notis, pag. 591. subdubitans rectè ne verterit: *Vide lector, num vox δόξης hîc declaret non gloriam, sed opinionem, ut referatur ad nomen προσωποληψίας, sitque*

sensus

sensus: Ne habeamus fidem Domini nostri Iesu Christi, in discretione personarum, ut ex suâ cuiq; opinione quenquam æstimemus, non hoc quatenus est Christianus, sed quatenus nobis aut magnus aut humilis est, ob affinitatem, divitas &c. A quo, ut pleriq; interpretes alij recedunt, ita durius in eum invehitur Benedictus Justin. pag. 61. ubi uberius ostendit, vocem δόξης, si per opinionem vertatur, neque cum fide, neq; cum Christo cohærere, adeòq; perperam, & prorsus extra rem factum esse, ut sic transferretur. Confer etiam Lorinum, rem prolixè septem diversarũ explicationum comemoratione, pertractantem. Est ita; cum creberrimus vocabuli δόξα in N. Test. usus sit, vix tamen ullibi hâc acceptione, ut opinionem notet, (quæ significatio aliâs in profanis autorib⁹ sat usitata,) invenitur; proinde meritò Vulgata hîc retinetur, & quidẽ ut in ipsa vocis translatione, sic quoq; in relatione, nõ vel ad acceptionem personarũ, quæ Cajetani est sententia, à Jacobo Laurentio confutata, pag. 131. vel ad πίστιν, ut vult Piscator, cujus explicatio alioquin non prorsus est incommoda, sed sine trajectione ad κύριον, cui ex ipsius Spiritus S. instinctu juncta legitur, ut simplex sensus sit: Nemo vestrum existimet fidem & religionem Christianam, quam à Jesu Christo æterno Dei Filio, qui gloriæ Dominus est, gloriosèque regnat, habemus, hoc ferre, ut in cœtibus Ecclesiasticis, divites impij piis pauperibus præferantur.

§. 25. Hisce, quæ & regni & Regis nostri appellationes spectant, ita explicatis, simul quæstio εἰ ἔστι expedita est, ut qui allatis Scripturæ testimoniis fidem habet, de ipso gloriæ regno, quod & constitutum sit, & jam à Christo Rege administretur, amplius dubitare nequeat: *quò referenda* uberioris confirmationis gratiâ, *omnia vaticinia Prophetarum* V. Test, de utroq; *Meßiæ, tum venturi statu exinanitionis & exaltationis.* Psal. 8. v. 6. & 68. v. 1. & seqq. & 110. v. 7. Esa. 33. v. 8. & seqq. & passim alibi: *Referendi typi, Iosephi* à fratribus venditi, & in carcere, usque ad tertium annum detenti, postea ad insperatam gloriam evecti, de quâ ipse ad fratres obstupefactos, Gen. 45. v. 13. *abite*, inquit, *nunciate Patri meo universam gloriam meam, & cuncta quæ vidistis &c. Davidis*, post exantlatas plurium annorum calamitates, ad solium Regium, inter populi applausus & congratulationes exaltati 2.

An sit Regnum gloriæ?

Sam.5.v.v.1.seqq. 1.Chron. 12.v.1.seqq. *Salomonis*, in vivi videndentisque Patris Davidis thronum, post solennem unctionem, acclamante populo, collocati, 1.Reg.1.v.39. & seqq. *Referenda Evangelistarum & Apostolorum testimonia*, quibus, quemadmodum Christi statum & formam servilem, in quâ à primâ conceptione, usque ad mortem crucis vitam egit, copiosè describunt, sic etiam majestatem ejus, ac ingressum in gloriam, plerumque subjiciunt, quæ huc conferre non opus est. *Referenda ipsius Christi, qui testis verax est*, Apoc. 1. v. 5. ipsaque veritas, verba: tum ante mortem & passionem, Luc.18. vers.33. tum post mortem & resurrectionem, cap.24.v.26. prolata. *Referendum præludium*, & gloriosa ἀπαρχὴ in monte, ex constanti veterum plerorumque opinione, Thabor. Matth. 17.vers.1. Marc.9.v.1. Luc.9.v.28. 2.Pet.1.v.26. *Multa Christus de morte sua, multa de periculis, de passione, de cæde Apostolorum, in præcedentibus locutus erat*, (verba sunt Chrysost.hom.57. in Matth.) *aspera complura eis atq; ardua injunxerat, quibus subnectit dulcissimam promissionem*, Matth.16.v.28. *Amen dico vobis, sunt quidam de his stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.* Quibusquidem verbis, Pontificii fabularum amatores, ineptissimè, Christum Johanni Apostolo pollicitum fuisse narrant, ut non moreretur ante novissimum diem. Conf. Pet. de Natal. Catal. sanct. lib.1.cap.17. Alij eundem locutum arbitrantur, de illa gloriâ, quâ se Apostolis suis, & alijs quibusdam fidelibus, conspiciendum erat exhibiturus, post resurrectionem suam, & in ascensione ad cœlos. Luc.24.v.31,36. & seqq. Joh. 28.v.19. & seqq. Act.13. & seqq. Nonnulli de regno gratiæ, & illustri Evangelij per universum terrarum orbem propagatione, egisse volunt, quos inter Beda, *Regnum Dei hoc loco* inquit, *præsens Ecclesia vocatur &c.* Verum gloriosam transformationem corporis sui & vestimentorum, ac quæ circa eum alia, post sextiduum acciderunt, Dominum promisisse, & ex historiâ ac verborum connexione liquet, & ex 2.Pet.1. v.16. & seqq. ubi de complemento promissionis loquens, *speculatores* inquit, *facti sumus, & illius magnitudinis, & vocem audivimus, de cœlo allatam magnificâ gloriâ, cum essemus cum ipso in monte sancto.* In quâ trans-

transformatione, quâ ut Hieronymus ait, *non perdidit faciem, aut corporis veritatem amisit, novo assumpto, sed claritatis gloriâ illustratus fuit*, ut & in colloquio cum Mose & Eliâ, qui & ipsi ἐν δόξῃ apparuerunt, imaginem quandam gloriosi sui regni, quod sibi destinatum esset, exhibuit. *Qualis enim futurus est tempore judicandi*, inquit, citat. loco Hieron. *talis apparuit Apostolis*; & Beda: *qualis tunc Apostolis apparuit, talis post judicium cunctis apparebit electis.* Conf. Gerhard. LL.CC. de V. Ætern. §. 2.

§. 27 *Vnde, & à quo Christus Rex gloriæ sit, & gloriæ regnũ habeat*, supra §. 11. in textus ἐξηγήσει vidimus. Est is *æternus Pater*, à quo Rex ut potentiæ & gratiæ, sic & gloriæ constitutus est. Conf. disputat de regno Christi in genere, §. 25. de regno potentiæ, §. 24. de regno gratiæ, §. 26. Hic immensus omnis gloriæ fons est, inde *Pater gloriæ* dictus, Eph. 1. vers. 17. Et hic ex se ab æterno gloriosus, Filium sibi gloriâ æqualem genuit, ut Deum ex se Deo, sic gloriæ Regem, ex se Rege: Hic eundem Filium, etiam juxta humanitatem, in tempore Regem gloriosum fecit, ipso tamen Filio & Spiritu Sancto hic non exclusis: quò suo modo pertinet, quod verbis Majestate plenis, Apostolus cit. cap. 1. Eph. vers. 17. & seqq. de Christi exaltatione refert. Nec planè incommodè hùc applicari possunt verba Christi, Joh. 8. vers. 50. *Est* (æternus Pater) *qui gloriam meam quærit*: & 54. *Est Pater meus, qui glorificat me.* Constat quidem ex textus συνέχεια, & colloquio cum Judæis à Christo instituto, non in specie de gloriæ regno loc. cit. verba fieri, sed Christum calumnias, quibus ab hostibus incessebatur, retundere: Dixerat, Joh. 8. v. 13. *Verum esse testimonium, quod de seipso perhibeat*, dixerat vers. 16. *se ex Patre & cum eo testari*, dixerat, se majorem & *priorem Abrahamo esse*, vers. 53. inde Judæi ex mentis cæcitate, per quam divinam Christi gloriam videre nequibant, occlamabant, ipsum esse blasphemum, ambitiosum, & impium jactatorem, qui, quod in nullum hominem cadat, sibi impudenter tribuat. His respondet, vers. 50. *Ego gloriam meam non quæro.* Quæ quidem verba Chrysostomus & alij, de dilatione vindictæ explicant, ut sensus sit: *Vos, dum palàm ex incredibili in me odio dicitis, me esse Samaritanum, & habere Dæmonium, extremè in me estis contumeliosi, quam quidem in me injuriam, ad gloriam meam tuendam, hoc momento*

Vnde regnum gloriæ Christus habeat?

mento ulcisci possem, & grave à vobis sumere supplicium, sed abstineo, &c. Verum textui convenientius est, si Christi responsum, de vanâ gloriæ jactantiâ, quam Judæi ipsi objiciebant, intelligamus, hoc sensu: vos me hominem blasphemum, ambitiosum, & inanis gloriæ cupidum, proclamatis; at talis ego non sum; quæ enim de proprio testimonio, de ὁμουσίᾳ cum æterno Patre, eiusque in me essentiali habitatione, de æternitate meâ, & quod prius quam Abraham fuerim, dixi, in se sunt verissima, licet vobis impia & falsa videantur: non ego vanam sector gloriolam, nec mihi ipsi placeo; quâ in parte æternum Patrem meum, contra vos testem, vindicem, judicem habeo: Is enim est, qui & per æternam generationem, gloriam majestatemq; suam mihi communem fecit, & in tempore, juxta carnem, me immensâ illâ affecit gloriâ, quam ab æterno apud ipsum habeo, qui gloriosum mihi constituit regnum, paulò post, me in gloriæ suæ thronum evecturus, ut æternùm gloriosè regnum. Ergò hoc quoque ὑπερφατπισμῷ, Christus omnem gloriam, quam unquam habuit, hodièque habet, & in infinita secula habiturus est, æterno Patri fert acceptam; quem etiam cap. 17. Ioh. v. 1. & 5. sublatis in cœlum oculis, pro glorificatione invocat: *Pater glorifica Filium tuum*; quanquam, quod & petendi ratio, & fidei analogia exigunt, de se, tantum juxta humanam naturam loquatur, quo modo ita admirabiliter petit, ut alio respectu, nempe juxta divinam naturam, ipse quoque exaudiat, ita accipit, ut & elargiatur. Athan. Orat. 2. contra Arian. *Admirabile est, quod Filius cum Patre donat, id idem, cum sit Filius, à seipso accipit, eò quod corpus ista recipiat.* Conf. Cyrill. l. 8. Thesaur. cap. 1. & D. Gerhard. harm. Evangel. cap. 180.

Christus iuxta utramq; naturā regnū gloriæ administrat.

§. 28. Cæterum *si quæratur, juxta quam naturam Christus regnum gloriæ, quod à Patre habet, administret*, ex ijs quæ supra §. 11. & 12. ad textus ἐξηγήσιν allata sunt, responsionem petere facilè est. De *divinâ* nemo, nisi qui ipsam Christi divinitatem, cum Arianis & Photinianis negat, dubitabit; Iuxta hanc enim, sicuti idem cum Patre Deus, ejusdem Majestatis, sapientiæ, potentiæ, &c. ita & Rex idem, idq; in omni regno divino. *De eodem, juxta humanam naturam*, præcipuè intelligendum locum, quem modo explicavimus, cit. §. 12. ostensum est. Quo cum conjugenda omnia

omnia ea Scripturæ testimonia, quæ Christum etiam *qua hominem*, in divinæ gloriæ throno collocant. Matth.25.v.31. *Veniet Filius hominis in gloriâ suâ, sedens super thronum gloriæ suæ.* Ubi à subjecto, humanam naturam excludere velle, & Filium hominis, sine humanitate fingere, contradictionem in adjecto habet. Accedunt circumstantiæ aliæ, singulariter humanam naturam indigitantes, ut quod visibiliter in gloriâ sit appariturus, in conspectum suum omnes orbis populos convocaturus, externâ voce sententiam prolaturus, &c. Hebr.12.v.2. *Respiciamus in fidei ducem & consummatorem Iesum, qui proposito gaudio, pertulit crucem, ignominiam, contemptum, & ad dextram throni Dei consedit.* Quibus verbis Apostolus apertè humanam naturam respicit, juxta quam & gaudium sibi habuit propositum, quo tamen abstinuit, & crucem atque ignominiam pertulit, & tandem in throno Dei gloriosè consedit, juxta eandem naturam gloriâ coronatus, juxta quam fuerat ignominiâ affectus. Apoc.3.v.21. *Vici & sedi cum Patre in throno eius*: Est autem victoria Christi, etiam juxta humanam naturam, ut & præcedens pugna, quo calcaneo insidias serpentis expertus est, eodem & caput ipsius contrivit, Gen. 3. v. 15. Apoc.5.v.6. & 12. *Agnus occisus est in medio throni, acccipiens virtutem, & fortitudinem, & honorem, & gloriam.* Conf.c.7.v.17. Atque idem amplius patet, si per omnes partes manifestationis, atque exercitij gloriosi regni, eamus; Ubi primum occurrit; *Mortuorum è sepulchris excitatio*, de qua passim scriptura ita loquitur, ut notanter humanæ Christi naturæ mentionem faciat. Ioh. 5.v.28. *Veniet hora, in quâ omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filij hominis*, 1.Cor.15.v.21. *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* Rom.14.v.9. *Constitutus est Dominus vivorum & mortuorum*; adde exempla eorum, quos Christus in terris ad hanc vitam è morte revocavit, Matth.9.v.25. Luc.9. v.14. Ioh.11.v.43. ubi, quia tactus organo & humanâ voce usus est, à miraculosis istis operibus, naturam suam humanam nequaquam sequestrandam esse, palàm docuit. *Mortuorum resuscitationem sequitur ultimi & universalis judicii administratio*, cujus potestatem Christo juxta humanam naturam datam esse, clarissima verba Ioh.5.v.27. evincunt: *Pater dedit potestatem faciendi judicium Filio, quia Filius hominis est*; nec aliam fert sen-
tentiam,

tentiam ipsa judicis descriptio, qui dicitur *venturus in nubibus cœli*, Matth. 24. v. 30. *conspiciendus ab omnibus*, Zach. 12. v. 13. Apoc. 1. v. 7. compellaturus electos & damnatos, Matth. 25. v. 34. & 40. Quæ & alia id genus plura, humanam Christi naturam propriè notant. Quorsum & reliqua pertinent, scil. *separatio impiorum à piis, horum ad dextram collocatio, blanda invitatio, in locum gaudij introductio, abundantissima cœlestium bonorum communicatio, æterna in cœlis cohabitatio*, quæ omnia, Christo etiam secundum humanitatem in sacris literis tribuuntur, quod in articulis de mortuorum resuscitatione, extremo judicio, & vita æterna uberius demonstratur.

Ἀντίθεσις Calvinianorum.

§. 29. Orthodoxam hanc de Christo, gloriæ regnum, juxta utramq; , adeoq; inprimis etiã juxta humanam naturã administrante sententiã, corrumpunt *in defectu Calviniani*, dum carnem Christi à reali participatione infinitæ gloriæ, ex unione personali promanante, excludunt; In throno immensæ majestatis sedem illi concedunt, sed ut *duplicem ad dextram Patris sessionem*, sic & *duplicem paternæ gloriæ thronum*, fingunt: *Unum superiorem*, in quo & ex quo Christus juxta divinitatem, æquali cum Patre gloriâ, sapientiâ & potentiâ præditus, sedeat & regnet. Conf. Martin. in spic. p. 150. Ursinum in Explic. Catech. p. 351. Alterum inferiorem, in quo & ex quo, juxta humanam naturam, *summum quidem & gloriosum imperium habeat, sed proximè post Deum*. Mart. in spic. p. 143. *Sit beatior cæteris creaturis, & habeat super omnes creaturas regiam & judiciariam potestatem, sed finitam, polleat gloriâ & dignitate, quantam maximam capiat res creata, super omnes Angelos & homines.* Bucan. Loc. 28. q. 11. Sohn. tom. 2. pag. 279. Sed quis unquam, vel duplicem sessionem ad dextram Patris, vel duplicem Patris æterni thronum, in Scripturis legit? Est dextra Dei in hoc articulo non nisi una, non nisi unus infinitæ virtutis & majestatis thronus, inde non nisi una sessio, unum gloriosum regnum, Christo juxta utramque naturam, licet ex diverso principio, adscriptum. Conf. Apoc. 3. v. 21. *Ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus.* Vehementer ineptiunt, qui, ut postulatum suum de Christi regno gloriæ à Deo proximo, obtineant, adducunt ex Zachar. 13. v. 6. *Phramea suscitare super pastorem meum, & super virum consortem* (proximum) *mihi &c.*

Quæ

Quæ æterni Patris verba, tantum abest, ut diversam potestatem, gloriam, regnum, exprimant, ut potiùs, è contrario, Christi cum æterno Patre ὁμουσίαν & æqualitatem, stabiliant. Ipse Piscator hoc agnoscit, in c. 13. Zachar. scribens, ad verba *proximum meum vel socium meum. Hac voce innuitur æqualitas Christi cum Patre*; Nec aliter Junius & Tremellius: *Hoc nomine*, (proximum) *Deus Pater Magnificè appellat Christum, quia Christus est alter idem, imago Dei invisibilis &c. In excessu Schvvenckfeldiani*, qui quidem videri volunt Christi humanam naturam, in statu & regno gloriæ salvam tueri, sed opere ipso, & monstrosis suis opinionibus, totam destruunt, ut præter divinitatem in Christo nihil relinquant. Ajunt per manifestam contradictionem, è Magistri sui scholâ in 1. Apologia ad Princip. Lignic. *Homo Iesus Christus, natura sua humana indeleta, per suam glorificationem, & divinam primogenituram ex mortuis, eßentiâ, vitâ, regno, dignitate, & potentiâ, in & cum Deo, omne hoc quod Deus est, factus est.* Et rursus: *Homo Iesus, suo corpore, sanguine, & carne, totus est eius Essentia & Potentia, cuius est Deus Pater, & coæternum atq; omnipotens eius verbum ante incarnationē fuit, ut & cum Spir. S., in Essentiâ divinâ unus.* Iterum: *Christus in gloria non solū non est creatura, sed & prorsus nulla creaturalis conditio & proprietas, in ipsius toto corpore & sanguine invenitur.* Amplius: *Sedere ad dextram Dei, nihil aliud significat, quam quod humanitas sit in Christo suæ æternæ divinitati æqualis, in & cum ea prorsus unius essentiæ & potentiæ, majestatis & dignitatis.* Conf. Confessionem ejus magnam; item de filiat. & gloria Christi, de Trinitate &c. ubi articulum Deificationis, (Germanicè Gottswerdung/ sic enim eam vocat) pertractat. Ex quibus omnibus liquet, quicquid de humanâ Christi naturâ, in regno gloriæ, Schvvenckfeldiani, & qui ipsis adstipulantur, dicant, eos revera naturam ipsam evertere, adeòque negare, quod Christus etiam juxta humanam naturam, quæ verè humana, & à divinâ naturâ, essentiâ, proprietatibus divisa sit, regnum gloriæ administret. In quo errore confutando, nostrum non est, hic operose laborare, quod superioribus annis factum, à Doctore Wigando, in Schvvenckfeldianismo uberrimè, à pag. 134. ad 258. à Doct. Lucâ Osiandro seniore, in widerlegung der Bekantnuß Caspar Schwenckfelds / à pag. 156. usq; ad pag. 1[illegible]5. Ex historia Evangeli-

Schvvenck feldianorū

angeli-

angelicâ abunde constat, Christum eodem corpore, quo mortuus & sepultus est, resuscitatum esse, discipulis aliisq; videndum contrectandumq; se exhibuisse, eodemque in cœlos ascendisse; adeòque regnum gloriæ, ad ejus æternam administrationem esse ingressum, venturum in carne suâ visibiliter ad judicium, & ab ijs, qui ipsum confixerunt, visum iri, ac post judicium, electos suos, secum in æternam gloriam introducturum, ut ex ipsius, tanquam fratris aspectu, ineffabili gaudio perfundantur. Quæ omnia olim Schvvenckfeld, felicioris quam melioris ingenij, homo fanaticus, loquax, scribax, insignis hypocrita, qui post tot admonitiones, superbè contemptas, in reprobum sensum datus, nec capere nec intelligere potuit, aut potius voluit. Conf. Petrum Piscator. Profess. Ienens. comment. in formul. Concord. disput. 13. p. 717. seqq.

An Christus in regno gloriæ ministris utatur?

§. 30. *Sed, anne Christus Rex gloriæ, uti in potentiæ & gratiæ regno, sic & in hoc, liberè ministris & organis utitur?* Sanè id absolutè negari nequit, si certos gloriosæ gubernationis actus spectemus, nimirum illos, quos in gloriosa ultimi judicij administratione concursuros, Scriptura prædicit, quales sunt: inauditus, & nobis hoc vitæ statu ineffabilis *tubæ clangor*, *hominum omnium è sepulchris & morte suscitatorum congregatio*, *congregatorum in duas classes distributio*, *electorum ad Christi dextram*, *impiorum ad ejus sinistram*, *collocatio &c.* Ad quos, quod Angelorum ministerium Rex Christus liberè adhibiturus sit, ex sacris literis clarum est. Matth. 24. vers. 31. *Filius hominis mittet Angelos suos, cum tuba vocis magnæ*, v. 31. *Angeli congregabunt electos à quatuor ventis mundi*, cap. 35. v. 32. *Congregabuntur ante Christum omnes gentes*, cap. 13. vers. 49. *Angeli separabunt malos de medio justorum.* Conf. 1. Cor. 15. v. 51. 1. Thes. 4. v. 16. Marc. 13. v. 27. Huc pertinent, quæ & ipsis Angelis ministris tribuuntur: *majestaticus Christi Regis ad judicium descendentis, comitatus*, Matt. 25. v. 31. Luc. 9. v. 26. *Damnatorum, post latam sententiam in infernum detrusio*, vel, quæ Scripturæ vox est, Matth. 13. v. 41. *in caminum ignis missio, piorum & electorum lætissima in locum gaudij & cœlestes sedes deductio.* Uti enim hodiè Angeli, singulorum piorum animas, corporibus egredientes, in sinum Abrahæ deportant, Luc. 16. v. 22. sic & omnes simul in vitam æternam ingredientes, cum applau-

su deducent,, ipsis sese, & sibi ipsos chorisq; suis immiscentes. Sed & *horum electorum ministerium*, Rex Christus, in glorioso judicio adhibebit, quos, Scriptura testante, habebit Assessores & testes Matth. 19. v. 28. *Sedentes super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.* Conf. 1. Cor. 6. v. 2. Apoc. 3. vers 21. *Sic consummatio seculi*, quæ ipsa quoque gloriosus actus futurus est, *fiet mediante igne*, 2. Pet. 3. v. 7. *elementa igne accensa solventur, terra autem, & qua in ea opera sunt, exurentur*: qui ignis, qualis futurus sit, novit, qui eundem potentiâ suâ excitabit.

§. 31. Verùm si ab his, qui quidem etiam ad plenum Christi gloriæ regnum, sed tamen tanquam actus quidam præparatorii, referuntur, in ipsa cœlestis gloriæ domicilia, atque ad jucundissimam Christi & electorum cohabitationem, Scripturâ Duce, ingrediamur, & quo pacto sese æternorum gaudiorum tum collatio, tum perceptio habeat, æstimemus, *Vix ministris & organis ullis, sicut in regno potentiæ & gratiæ, locus relinquitur. Erit enim tunc Deus*, Rex gloriæ Christus, cum Patre & Spiritu Sancto immediatè ipse *omnia in omnibus*, 1. Cor. 15. v. 28. In regno potentiæ, dum hîc vitam agimus, per multos quasi, variosque canales, sua ad nos beneficia deducit, ut servemur: quorum nullus in vitâ alterâ & regno gloriæ, conspicietur, quâ de re Gregor. Nyssen. disputat. de animâ & resurrect. tom. 3. edit. Paris pag 228. & seqq. *In vita* inquit, *quam in præsentiâ transigimus, variæ pariter & multæ res sunt, quarum participes sumus, ut temporis, ut aëris, ut loci, cibiq; & potus, ut tegumentorum, ut solis, lucernarumq;, ut aliarum multarum, ad usum vitæ necessariarum, quarum rerum nulla Deus est: beatitudo verò quæ expectatur, nullius quidem harum rerum egena est; omnia enim nobis, locoq; omnium erit divina natura, ad omnem usum ac necessitatem illius vitæ sese convenienter & aptè impertiens: atq; ut planum & manifestum est ex sacris oraculis, quod Deus & locus existit iis qui digni sunt, & domus, & indumentum, & cibus, & lumen, & divitiæ, & regnum, ac quicquid vel mente concipi vel nominari potest, quod nobis conferat & conducat ad bonam vitam, &c.* Sic in *regno gratiæ*, Christus sua constituit organa, personalia & realia, ordinaria & extraordinaria, per quæ sua nobis spiritualia beneficia confert, nos de viâ salutis informat, consolatur, illuminat, regenerat, justificat, sanctificat &c.

de quibus præced. disput. §. 29. & seqq. distinctè actum. At in regno gloriæ, his omnibus remotis, & sublato speculo, seipsum & gloriam suam beatis conspiciendam sistet, *ut ipsum videamus sicuti est*, 1. Joh. 3. v. 2. *Non habebit templum cœlestis Hierosolyma*, in quo audiantur concionatores, administrentur sacramenta, aut alia huic gratiæ statui propria, peragantur, sed *Dominus ipse, & Deus omnipotens eius est templum, & agnus*, Apoc. 21. v. 22. *Sanctorum Doctorum* inquit Cassiodorus, *in præsenti tantum vita necessaria est prædicatio, & doctrina; Nam in alia vita, postquam apparuerit æterna dies & finita fuerit nox præsentis seculi, non necesse erit doceri aliquem, quia omnes revelatâ facie gloriam Domini contemplabuntur.* Conf. Luth. in enarrat. c. 15. prior. ad Corinth. tom. 6. Jenens. Germanico p. 242. v. 6. & seqq. ut & comment. in cap. 2. Epist. Post. Petri ubi ad verba erimus θείας κοινωνοὶ φύσεως. *Nullum* ait, *extare in Novo & Veteri Testamento locum, huic majestate similem, quanquam infideles eundem parum curent.* Addit: *quid est divina natura? Est æterna veritas, justitia, sapientia, vita, pax, gaudium, & quicquid boni nomine comprehenditur: jam qui divinæ naturæ consors efficitur, hæc omnia consequitur.* Ergò quod Christus ex libertate facit, ut in regno potentiæ & gratiæ, ad varia beneficia exhibenda, creaturarum ministerio utatur, id ex eâdem libertate non facturus est, in regno gloriæ, sed ipse immediatè omnia erit. Sanè, quod & in disputat. de regno Christi in genere, sub finem §. 28. diximus, beati in futura vita & regno gloriæ, etiam ex mutua conversatione & colloquio, nec non ex jucundissima cum beatis Angelis societate, ac pulcherrimis sedibus, amplissima capient gaudia, sed ea tamen omnia, Deus & Christus, qui omnia in omnibus erit, præsentissimus dabit. Apoc. 21. v. 3. cap. 22. v. 23.

Obiectum regni gloriæ

§. 32. Pergimus *ad materiam circa quam, sive objectum*, regni gloriæ, quod nobis ejus *incolæ* sunt & *cives*. Apostolis hoc regnum dispositum esse, supra §. 15. & 16. ex textus explicatione diximus, ubi tamen additum, non eos solos esse, sed alios plures, quibus tanta bona parata. Videndum ergò, qui, præter Apostolos, & nunc sint, & aliquando sint futuri, regni gloriæ cives & hæredes; Ubi *primas Angeli* habent, qui in concreatâ sanctitate & ju-

Angeli boni.

& justitiâ perstiterunt, & mox gratuitum confirmationis bonum sunt consecuti, ex quo, ad gloriam quâ æternùm fruuntur sunt evecti, cujus perfectionem ex primâ creatione, si omnia diligenter expendamus, eos non habuisse, asserendum est. In felicissimo quidem statu, à primo creationis momento, fuerunt, quanquam ea felicitas certò definiri nequeat, cum verbi divini revelatione hâc etiam in parte destituamur; sed non illicò in glorioso, de quo nobis hic sermo est, qui beatificam Dei visionem atque simul incomparabile privilegium ἀμεταπτώσεως, complectitur. Eadem & communis fuit omnium Angelorum, posteaquam, ut aliæ creaturæ, ex nihilo præductæ sunt, sors & ratio: ad æternam & gloriosam vitam fuerunt conditi, sed, ut certo ordine, ac cum conditione perseverantiæ, eam assequerentur: sua interim omnibus ipsis constabat beatitudo & felicitas, quæ ad perfectionem via erat. Qui itaque in viâ illa fidem præstiterunt boni Angeli, post cofirmationem, in regnum gloriosum, ad beatam Dei visionem, sine morâ suscepti sunt: quod, quo pacto factum, rursum à nobis explicari nequit: reliquis, qui fidem fregerunt, & in ἀποστασίαν prolapsi, tum ex concreatâ felicitate, tum ex spe consequendæ gloriæ deturbatis. Quemadmodum enim & homines sapientissimus & liberrimus creator, *ad vitam & gloriam æternam creavit*, Sap. 2. v. 23. Sed ut prius in alio vitæ statu, qui & ipsis sat felix esset, debitum ipsi cultum & obedientiam, juxta sancitam legem, constanter præstarent; quo facto demum, ratione, modo, & tempore Deo cognitis, ad cœlestis vitæ gaudia, Deique visionem, fuissent translati. Sic etiam Angelos ad gloriosam vitam conditos, non statim ipso creationis momento eâdem beavit, sed sapientissimâ & liberrimâ voluntate, prius viatores, quæ Scholasticorum vox est, eos, ac in tali statu esse voluit, in quo liberè ipsi, sine tamen confirmatione, servirent, & ex concreatis sanctitatis & liberi arbitrii viribus, non peccare, licet, si malitiosè ijsdem abuterentur, etiã peccare possent. Quod si itaque, quæ optimi creatoris voluntas fuit & intentio, omnes in viâ sibi destinatâ fideliter, quod facilè poterant, & à multis factum, ambulassent, omnes etiam in gloriam ac conspectum Dei fuissent assumpti. Quia verò aliqui tantum ex legitimo liberi arbitrii usu, in via constantiam præstiterunt,

liqui ex turpi ejusdem abusu, à via deflexerunt, hinc factum, ut illi tantum ex gratia gloriæ participes facti, hi verò, ex merito, sedibus suis, & à spe gloriæ sint dejecti. Ex quo patet, Angelos malos, licet suo modo ex creatione beati fuerint, gloriosos tamen vultus divini contemplatores, adeòque regni hujus, de quo agimus, cives nunquam extitisse, cum, qui hujus regni jura, inter quæ Dei visio eminet, semel ex gratiâ divina obtinet, ea nunquam amittere possit. Inter plurima enim, & nobis infinita alia cœli bona, Dei visio etiam ἀμεταπτώσεως beneficium & in bono confirmationem comprehendit, ut, qui ea fruitur, ejus sese voluntas à Deo nunquam avertere, aut in peccatum prolabi possit. August. lib. de Civ. D. II. cap. 11. pag. 622. *Spiritus tenebræ, quos Angelos dicimus, simul ut facti sunt, lux facti sunt, ita tamen creati, ut illuminati, sapienter beateq; viverent: ab hâc illuminatione aversi quidam Angeli, non obtinuerunt excellentiam sapientiæ beatæq; vitæ, quæ procul dubiò non nisi æterna, æternitatisq; suæ est certa atq; secura. Quatenus autem antequam peccassent, illius sapientiæ fuerint participes, definire quis potest?* Conf. seqq. Ut & quæ graviter pièque Ludov. Vives ad dictum caput, contra vanam scholasticorum curiositatem commentatus est; huc non adscribenda.

Homines. §. 33. Angelis beatis, in regno gloriæ συμπολῖται, sunt homines, *& voto quidē divino antecedente omnes,* sine exceptione. Si enim certum est, Deum ab æterno seriò voluisse, ut omnes homines ordinis constituti observatione, salvi fierent, 1. Tim. 2. v. 4. quin gloriæ regni cives esse etiam voluerit, negari nullo modo potest, cum hæc per omnia idem sint. Habet omninò, ut prima hominis creatio, sic & redemptio per Christum facta scopum, eorundem omnium æternam beatitudinem, quo nomine etiam omnibus, ad regnum gratiæ in his terris janua patet, ut per illud, tanquam per atrium, in regni gloriæ adita transeant. Sed quia hîc non de eo quod in votis, suo modo, Deus habet, sed quod ipso opere, ex voto consequitur, non de ijs quos vult esse, sed qui reipsa partim jam sunt, partim futuri sunt regni gloriæ cives, agimus: ideòque ex totius Scripturæ unanimi sententia, *non nisi credentes, & quidem finaliter ac perseveranter credentes, cœli*

Perseveranter credentes.

cives

cives dicere possumus. Regnum gratiæ nonnihil amplius est, ut quoscunque credentes, quando & quamdiu credunt, sinu suo foveat. Conf. præced. disput. §. 33. sed regno gloriæ, non nisi illi adscribuntur, qui in regno gratiæ, fide usq; ad finem perseverant. Mat. 24. v. 13. *qui perseverarit usq; ad finem, salvus erit.* Apoc. 2. v. 10. *Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* *Qui verò inclinant animos suos ad itinera tortuosa, amandabit eos Iehova, cum ijs, qui dant operam iniquitati*, Psl. 125. v. 8. Atque hi tales, qui finaliter credunt, cujuscunque sint gentis, nationis & populi, cujuscunque sexus & ætatis, digni hoc regno ex gratia habentur; *sive ab Oriente, sive occidente veniant, recumbunt cum Abrahamo in regno cœlorum*, Matth. 8. v. 11. *quia Deus non est acceptor personarum, sed ex omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, carus est illi*, Act. 10. v. 34. Unde Johannes Apoc. 7. v. 9. *turbam beatam vidit collectam ex omnibus gentibus & tribubus, & populis & linguis*, qui quidem pauci sunt, si cum maximo damnatorum cœtu, & impiorum colluvie conferantur: *pauci enim ex multis vocatis electi*, Matth. 20. v. 16. cap. 22. v. 14. *Pauci inveniunt viam arctam & angustam portam vitæ*, Luc. 13, 23. sed tamen *in se multi*, Matth. 8. v. 11. *& magna turba*, Apoc. loc. cit. Augustin. sermone 32. de verbo Domini tom. 10. pag. 125. *Pauci sunt qui salvantur, in comparatione multorum pereuntium, sed ipsi pauci, magnam massam facturi sunt, cum venerit ventilator, habens ventilabrum in manu sua, & mundabit aream suam, tanta massa processura est de hac area, ut impleat horreum cœli &c. Neminem ergò ex semel damnatis huc admittit scriptura, quod olim Origenes affirmasse creditur: neminem ex gentilibus & Ethnicis vera fide destitutis, nullum Numam, nullum Aristidem, nullum Socratem* admittit, quos Zvvinglius quantum in se, & cum eo nonnulli ex Pontificijs, (quibus & Erasmus Roterod, qui simulachra virtutum, quæ celebrium Ethnicorum verba præ se tulerunt, nimium admiratus est, passim se socium præbuit. Vide vel solum convivium religiosum in colloq. tom. 1. operum pag. 574.) in cœlestibus sedibus collocarunt. Conf. D. Gerhard. uber. Exegesi Loc. sec. de naturâ & attributis divinis §. 81. seqq. Schlüsselburg. Theolog. Calvinian. lib. 3. artic. 7. pag. 123. seqq.

§. 35.

Forma. §. 34. *Forma & regnandi ratio,* qualis in hoc regno sit, ex hactenus explicatis non obscurè patet. Christum in omni regno, cum Patre & Spiritu Sancto Monarcham esse, atque omnia divinè præsenterq; gubernare, disput. de regno ejus in genere, §.30. ostensum. Conf. etiam disput. de regno gratiæ, §.36. Eadem regnandi ratio & hîc locum habet adeòque *divinè & gloriosè est Monarchica.* Solus cum Patre & Spiritu Sancto Christus, ut in regno potentiæ & gratiæ, ita etiam in gloriæ regno regnat, nullum habens parem, minus superiorem. Sanè & electos, regni sui cives, hoc honoris titulo dignatur, ut *Reges* appellet, qui hoc nomine sibi gratulantur, Apoc.1.v.16. *Fecit nos* (Christus) *Reges & sacerdotes. Deo & Patri suo* cap.5.v.10. *Fecisti nos Deo nostro Reges & Sacerdotes, & regnabimus super terram,* sed non cum nomine in æqualitatem majestatis aut regiæ dignitatis thronum evehit, ut, quâ ratione ipse, eâdem & illi gloriosè regnent. Uti enim alio longè modo ipse sacerdos est, scil. oblatione sui ipsius in sacrificium pro peccatis totius mundi, & virtute istius sacrificii, assiduâ pro humano genere ad dextram Patris intercessione, alio illi, scil. oblatione hostiarum spiritualium, precum, laudis, gratiarum actionis, *corporum propriorum in promptum obsequium.* Rom. 12.vers.1. Sic quoque alia prorsus ratione Rex ipse est, omnium scil. supremus, Rex immensæ majestatis, sapientiæ, potentiæ, à nullo superiori dependens, Rex Regum αὐτοβασιλεὺς, ut sic dicamus, qui alios facit Reges: illi verò Reges sunt certo respectu: Reges, quod ipsimet fatentur, facti Reges, non quod in gloriæ regnū, adeòq; Angelos & electos alios Dominium habeant & usurpent, sed quod in Rege suo Christo, per & propter ipsum, de victis peccato, carne, Satana, mundo, morte, inferno, æternum triumphent, unde Reges quidem se factos ajunt, sed ita, ut Regi Jesu Christo, *omnem gloriam & imperium, in secula seculorum* tribuenda, & unicè relinquenda esse agnoscant. Apoc.1.vers.6. ut omnes uno ore exclament: *Dignus est agnus qui occisus est, accipere honorem & gloriam, & virtutem & fortitudinem &c.* cap.5.v.11. & seqq. Conf. Anshelmum epist. 2. ad Hugonem tom. 3. pag. 201. quâ hominum mentes ad contemptum seculi, & æterni regni desiderium incitat,

Gloriosè Monarchica.

tat, ubi, *piorum regnandi in cœlis felicitatem & perfectionem constituit in summâ voluntatum inter se & cum divina voluntate harmonia. Sic singuli* inquit, *erunt perfecti Reges, quia quod singuli volent, hoc erit, & omnes simul cum Deo unus Rex,* (hæc cum grano salis accipienda) *& unus quasi homo, quia omnes unum volent, & quod volent, erit &c.*

§. 35. Quod verò *Rex Christus, præsentissimè* regnum gloriæ & hodiè administret, & in omnem æternitatem sit administraturus, ex scripturis sacris clarius est, quàm ut probatione indigere videatur. Cum enim regno omni divino modo, adeoque præsentissimè præsit, cum in regno potentiæ, hodiè, cœlum, terram, maria, & quæ his continentur omnia præsentissimè videat, moderetur, & pro εὐδοκίᾳ conservet. Conf. disp. de regno potentiæ, §.28. & 29. cum in regno gratiæ itidem sit, *ubicunque duo aut tres congregati sunt in nomine ipsius,* Matth. 18. vers.20. & quidem in *medio ipsorum*; *sit cum fidelibus usq; ad consummationem seculi.* Matth.28.vers.10. disput. de regno gratiæ, §.36. Multò magis gloriæ regno ac ejusdem civibus, eum præsentissimum esse, credendum est, quâ de re Spiritus Sanctus apertissimè juxta suavissimèque variis Scripturæ locis loquitur. Pulcherrima sunt verba, Apoc 21. vers. 2. & 3. *Vidi sanctam civitatem Ierusalem &c. & audivi vocem magnam de throno: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis, erit eorum Deus* Est & in Ecclesiâ militante præsens fidelibus Rex Christus, cum Patre & Spiritu Sancto, ut modo dictum, multa exhibens beneficia, sed in futuro seculo, longè ampliora in beatos effundet, ubi eum coràm videbunt. Conf. Osiandrum. Rectissimè Flacius in glossa sua ad loc. citat. *Est positiva descriptio beatitudinis electorum, quod Deus nobiscum habitabit, eritq; noster Deus, & nos eius populus. Deus quidem, jam quoq; nobiscum est, sed tum plenâ, manifestâ, ac, ut ita dicam, visibili & prorsus efficaci præsentia, nobiscum versabitur, &c.* Non minus dulces sunt promissiones, quibus fidelibus spem facit Spiritus Sanctus, fore, ut post excessum ex hâc vitâ, cum Christo sint futuri, Joh. 17.vers.24. Philip. 1. vers. 23. 1.Thes. 4.vers.17. Conf. August. tract. 111. super Johannem, ad verba

Christus præsens regnat.

Christi, Joh. 17. vers. 24. *Pater quos dedisti mihi volo, ut ubi ego sum, & illi sint mecum &c.* ubi post multa. *Non* inquit, *satis fuit* (Christo) *dicere.* Volo, ut ubi ego sum, ibi & illi sint, *sed addidit* mecum. *Esse enim cum illo, magnum bonum est; nam & miseri esse possunt ubi est ille, quoniam quicunq; ubicunq; fuerint, ibi & ille est: sed beati soli sunt cum illo, quia beati esse non poterunt, nisi ex illo*, Conf. seqq. plura. Quò etiam referenda verba Apostoli inexhaustæ potentiæ, sapientiæ, bonitatis, jucunditatis, 1. Cor. 15. vers. 28. supra §. 30. adducta. *Deus* in regno gloriæ *erit omnia in omnibus*: Quæ præter alia nobis ineffabilia bona, omninò etiam *suavissimam Christi præsentiam, pollicentur.* Pulchrè Cyprian. serm. de ascensu Domini circa finem. pag. 484. *Ibi sancti in gloria videbunt Deum, non gustabunt tantum, quàm suavis sit Dominus, sed implebuntur & satiabuntur, dulcedine mirifica, nihil illis deerit, nihil oberit, omne desiderium eorum Christus præsens implebit &c.* Et mox: *Erit denique Deus omnia in omnibus, & eius præsentiâ, omnes animæ & corporis implebit appetitus, &c.*

Finis. §. 36. Finis, (cum quo & effecta conjugimus) *huius regni, ex parte Dei, rursus est eiusdem gloria*, quæ licet etiam *in regno potentiæ* suo modo, & videatur, & audiatur, *cœli enim enarrant gloriam Dei.* Psal. 19. vers. 1. & amplius *in regno gratiæ* ex admirandis operibus, stupendæ sapientiæ, potentiæ, misericordiæ divinæ testibus, à pijs agnoscatur, omnium tamen maximè, in regno gloriæ manifestatur, ubi demum & angelis & hominibus, ipsi quoque Satanæ in conspectum ponit *gloriam omnipotentiæ*, quâ, quod ab æterno decrevit, contra omnium hostium conatus & furores, exequatur, præcipuè in electis suis, per varia pericula, tentationes & insultus, ad salutem provehendis. Ponit *gloriam sapientiæ*, quâ, præter omnium & Angelorum & hominum, ac rursus ipsius Satanæ opinionem & expectationem, ratione incomprehensibili præstat, quod constituit. Ponit *gloriam misecicordiæ & bonitatis*, quâ fideles immerentes, quos in gratiam, dum hîc vixerunt, recepit, etiam cœlesti gloriâ ornat. *Ex parte Christi* θεανθρώπου, *ipsius honor est.* Uti enim Christus in carnem venit, servili formâ sumptâ, ut in eâ *ministraret*,

& da-

& daret animam suam redemptionem pro multis, Matth. 20. vers. 28. Sic gloriæ ipsi regnum paratum, in quod exaltatus est, ut dominaretur, ipsique flexis genibus servirent *cœlestia, terrestria, & inferna, & omnis lingua confiteretur, quia ipse est Dominus in gloriam Dei Patris*, Philipp. 2. vers. 10. & 11. *Ex parte sanctorum Angelorum, incrementum gaudij cœlestis.* Sincerus & fervens est Angelorum in homines amor, qui, cum sciant omnium hominum salutem Deum velle, eandem & ipsi in votis habent, unde novum gaudium toties concipiunt, *quoties aliquis peccatorum convertitur*. Luc. 15. vers. 7. Quod si ita est, longè magis ipsos gaudere credendum est, quando, qui in conversione inter seculi pericula perseverarunt, è regno gratiæ, in regnum gloriæ transferuntur, unde etiam læti manibus suis atque ulnis eorundem animas suscipiunt, *atq; in sinum Abrahæ deportant*. Luc. 16. vers. 22. Omnium verò, quod hinc sequitur, amplissimum gaudium percepturi sunt, cum universum electorum cœtum, sub finem mundi, à Christo Rege ex omnibus mundi plagis congregatum, magno triumpho in cœlestia domicilia introduci videbunt, quem omninò cum lætissimis congratulationibus, in commercium suum ad æternam cohabitationem sunt accepturi. *Ex parte electorum hominum, actualis & realis perceptio omnium bonorum cœlestium, in regno gratiæ promissorum.* Sumus, quotquot in Christum credimus, *regenerati in spem vivam, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceßibilem*, quæ nobis promissa, 1. Petr. 1. vers. 3. & 4. *Sed ea asservatur in cœlis*, ibid. nec prius quam è gratiâ in gloriam abeamus, confertur. *In domo Patris nostri sunt multæ mansiones, à Christo nobis paratæ*, Joh. 14. vers. 2. Sed prius quam ille gloriosè *veniat, & accipiat nos ad seipsum*, occupare eas non possumus, ibid. *Salvi jam facti sumus, sed spe*, Rom. 8. vers. 24. *cuius spei impletionem, per patientiam* in futura vita expectamus, cit. cap. vers. 25. *Nominamur jam & sumus Filij Dei*, 1. Joh. 3. vers. 1. & 2. Sed in regno gratiæ, dignitas ea, cruce & calamitatibus involuta est, ut *nondum appareat: scimus autem, quoniam cum apparuerit*, in nostri ex regno gratiæ in regnum gloriæ, juxta divinas promissiones, translatione, *similes Deo erimus*,

mus, quia videbimus eum sicuti est, ibid. *Ex parte impiorum damnatorum, adeoq; ipsius etiam Satanæ, extremus horror & confusio*: Quantam enim è cœlesti gloria, quâ fulgebunt electi, lætitiam haurient, tanto horrore & ignominiâ ex ejusdé conspectu damnati afficientur. De quo graphicè, Sap. 5. vers. 1. seqq. *justi gloriosè stabunt ἐν πολλῇ παῤῥησίᾳ, contra faciem eorum, qui ipsos angustiaverunt. Hi autem videntes ipsos, turbabuntur, timore horribili, & stupebunt in insperata eorum salute, præ angustia gementes &c.* Vide de hoc argumento, prolixè ac magno affectu agentem post alios, Ephræm Syrum, tractat. de variis tormentis inferni. pag. 891. seqq. Eundem, & fortè majorem horrorem & confusionem, sentient *Diaboli*, impiorum seductores, quibus, uti singulariter *infernus paratus est*, Matth. 25. vers. 41. Sic quoque quicquid infernalium pœnarum, quarum quidem capaces sunt, nomine intelligitur, quò etiam horror & ignomina, ex electorum gloria pertinet. Conf. Gerh. de Extr. Jud. cap. 4. §. 45.

Tempus. §. 37. *De tempore hujus regni* cum quæritur, *quando cæperit, & quamdiu duraturum sit*, distinctè respondendum est. Est regnandi majestas, quam in divinis cum æterno Patre & Spiritu Sancto, Christus communem habet, æterna, & hinc initio caret. Cæpit autem Christus juxta divinitatem, cum Patre & Spiritu Sancto, actu gloriosè regnare, ex quo cives gloriosos habuit, atque ipsos fecit, id est, ex quo Angelos in sanctitate & justitia concreata constanter perseverantes, ex gratia in bono, ne unquam eo exciderent, confirmavit, adeòque ex viatoribus contemplatores, qui faciem Patris cœlestis semper vident, fecit: in quorum postea societatem, animæ sanctorum & fidelium, quæ à mundi origine, corporibus suis egressæ sunt, ad augendum gloriosorum civium numerum, & regni felicia incrementa, sunt susceptæ. Juxta utramque, atque ita etiam humanam naturam, quando actu, gloriosè regnare cœperit, ex clarissimis Scripturæ testimoniis habemus. Ipse de seipso, Luc. 24. vers. 26. ait: *Hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*; ubi, sicuti voce *gloriâ*, omnis regni actualem & continuam administrationem, quâ in statu exinanitionis liberè, nostro commodo, abstinuit, intelligit: ita vel inprimis ad regnum

gnum gloriæ respicit, cujus moderationem se jam, superatis passionibus, aggredi, inquit. Ergò Rex quidem gloriæ, etiam ut homo, statim à prima conceptione fuit, omnis gloriæ possessor, sed actu gloriosè non regnavit, quod demum factum, quo tempore passionibus finis fuit impositus, id est, cum animam, quam posuerat, resumsit, & ex mortuis rediit, quo pertinet victoriosus & gloriosus ad inferos descensus, victoriosa & gloriosa in corpore & animâ, undique ex momento vivificationis, gloriosis, resurrectio, ut, licet ex libera οἰκονομίᾳ se quadraginta dierum spacio, per intervalla, videndum contrectandumque exhibuerit, commederit & biberit, ambulârit, &c. nequaquam tamen σῶμα ψυχικὸν sed πνευματικὸν habuerit; Victoriosa & gloriosa in cœlos ascensio, quâ è terris visibiliter subvectus, & tandem à nube è conspectu videntium ablatus est; Et, qua propriè completèque in gloriam ingressus dicitur, ad æterni Patris dextram sessio, quæ ubi cæpit, Christus demum omni gloriâ cœlesti, & ipse quâ corpus, quâ animam, coronatus est, & regni sui gloriosi, deinceps in omnem æternitatem administrandi, initium fecit. Quò referenda omnia Scripturæ testimonia, quæ hanc hanc majestaticam & gloriosam sessionem describunt. Ps. 8. v. 6. & seqq. & 110. v. 1. & 7. Marc. 16. vers. 19. 1. Corinth. 15. vers. 26. Eph. 1. vers. 20. seqq. cap. 4. vers. 8. Heb. 2. vers. 6. seqq. cap. 12. v. 2. 1. Pet. 3. v. 22.

§. 38. Cæterum, licet certo modo ex horâ suæ ad dextram Patris exaltationis gloriosè Christus regnet, atque ipse in gloria, gloriosos regni cives & incolas habeat, nondum tamen omnes ab æterno prævisos, prædestinatos, electos habet, quorum adhuc fortè multi nondum nati, multi adhuc in regno gratiæ peregrinantur, & quos ex hominibus habet, pauci sunt, qui jam corpore & animâ sint glorificati. Henoch sc. Moses, & Elias, atque illi, qui Christo resurgente, & ipsi resuscitati atque unà cum ipso in cœlum assumpti creduntur: reliquorum tantum animæ, gloria fruuntur, non sine desiderio instaurandæ cojunctionis cum corporibus suis. Ergò regno gloriæ ad ultimam perfectionem adhuc deest, congregatio totius electorum cætus, quam necesse est, ut præcedat mortuorum resurrectio, quâ, qui

 in pul-

in pulvere terræ jam dormiunt, prodeant, ſiſtantur ad Chriſti Regis & judicis dextram, & lata ſententia, in vitam æternam, & glorioſas cœli ſedes, introducantur. Quo demum die, (qui humano calculo definiri nequit, licet plurimi ſæpius id facere ſint conati) omnium piorum votis ardenter exoptato, regnum gloriæ per omnes partes, plenè, & inſtituetur, & manifeſtabitur; morte, hoſtium noviſſimo, prorſus, ne electos amplius infeſtet, abolito, Satana, ejuſque toto regno ſub electorum pedibus per omnia contrito, corporibus rurſus vivificatis, ijsdemque, poſt iteratam cum animabus copulationem, & admirandam eorum ad ſimilitudinem corporis Chriſti μετασχηματισμόν, in plenam poſſeſſionem hæreditatis τῆς ἀφθάρτου, καὶ ἀμαράντου, quæ nobis in cœlo repoſita eſt, translatis. Philip. 3. verſ. 20. & ſeqq. Coloſ. 3 verſ. 4. 1. Pet. 1. verſ. 4. *ubi electi finem invenient deſideriorum ſuorum, Deum, qui ſine fine videbitur.* (Sunt verba Auguſtini, quibus incomparabile opus viginti duorum librorū de Civitate Dei devotiſſimè claudit.) *ſine faſtidio amabitur, ſine defatigatione laudabitur, ubi non ſolum ſpiritu, ſed etiam corporibus beati, vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus; hoc erit in in fine ſine fine, nullus alius noſter finis, niſi pervenire ad regnum, cuius nullus eſt finis.*

Locus. §. 39. *Locus* (vocabulo latius ſumpto) *regni gloriæ*, ubi ſc. Rex Chriſtus, cum æterno Patre & Spiritu Sancto gloriam ſuam electis plenè manifeſtabit, ita ut ille cum iſtis, & hi cum illo, æternum in gloria & beatitudine habitent, ille ſe, de facie ad faciem hiſce contemplandum videndumque præbeat, hi illum, ſine fine intueantur, atque ita inde incredibili lætitia impleantur, qui & qualis ſit, non definimus, cujus rei neque nobis à Deo, qui eundem per omnia non revelavit, poteſtas facta eſt. Intolerabilis audaciæ eſt, confidenter ſcribere, *locum illum eſſe corporeum & circumſcriptum ſpatium, ſupra firmamentum localiter ſitum, ſive lucidiſſimum & ampliſſimum domicilium, aſpectabiles cœlos proximè ambiens, in quo ſint locales manſiones, & diſtincta habitacula, alia alijs ſuperiora, in quibus Rex gloriæ Chriſtus, cum electis gloriæ civibus, corporali modo ſtet, ſedeat, ambulet, prout ipſi placeat.* Quæ Calvinianorum, Scholaſticorum Pontificiorum veſtigia ſequen-

quentium, puerilis est sententia. Conf. Martyr. dialog. de pantach. Ursinum in compend. doctrinæ Christianæ, pag. 345. Sohn. disp. de creat. tom. 1. pag. 114. Martin. incis. pag. 36. Non nescimus, locum regni gloriæ, *domum Patris, Paradisum, sinum Abrahæ, regionem viventium, æterna tabernacula, templum & tabernaculum Dei, domicilia non manu facta, æternum in cœlis domicilium, quod è cœlo est, montem Domini, civitatem sanctam, Ierusalem, fundamenta sua habentem, Patriam, in sacris literis dici*: At sentimus, gravibus adducti rationibus, quod, quemadmodum Spiritus Sanctus, vocabulis è communi vita desumptis, & res corporales propriè significantibus, spiritualia in regno gratiæ beneficia creberrimè describit, sic etiam ijsdem gloriosæ vitæ futuræ statum, aliquo modo adumbret, nec velit, ut verbis rebusque corporalibus, conceptu nostro inhæreamus, sed ipsi, nobis condescendenti, coascendamus, atq; omnia, quæ ex naturâ & rebus terrenis petita sunt, ὑπερφυσικῶς, καὶ οὐρανοπρεπῶς intelligamus. Unde, sicuti certis Scripturæ locis, vocabula à rebus hujus seculi sumta, ad gloriæ regnum adhibet, ita alibi expressè eadem removet, id quod vel ex verbis Christi, à nobis supra explicatis, & cum Rom. 14. vers. 17. collatis, clarum est. Dicit Christus ad discipulos: *Dispono vobis regnum, ut edatis & bibatis.* At Apostolus loc. cit. è contrario, *non est cibus*, inquit, *aut potus regnum Dei*, non ut Christo contradicat, sed ut verba Christi à corporali sensu repurget, ac mentes ad cœlestia, quæ omnem naturæ hujus rationem superant, evehat, licet ea in his terris comprehendere animus humanus non possit. Nam, *quis est idoneus*, inquit August. tract. III. super Johann. *loca ista, vel quæ sunt in locis istis suis spaciosis capacitatibus, & sine corporeis molibus cogitare.?* Et in explicat. verbor. Christi, Volo ut ubi ego sum, & illi sint mecum: *Abscedat ab animo, omnis imaginum corporalium cogitatio: quicquid menti occurrerit, longum, latum, crassum, qualibet luce corporea coloratum, per qualibet locorum spacia sive finita, sive infinita diffusum. Ab his omnibus, quantum potest aciem suæ contemplationis vel intentionis avertat.* Conf. D. Gerhard. de V. Ætern. §. 170. & seqq. Non interim negamus, quod beatæ regni gloriæ sedes sint alicubi, & quidem revera à damnatorum squalidissimo carcere distinctæ,

stinctæ,

stinctæ, ita ut inter illas & hunc, magnum χάσμα sit firmatum. Luc.16.vers.26. Ac prorsus alieni sumus ab illorum opinione, qui statuunt, *regnum gloriæ esse ubiq;, atq; omnibus locis ubi pij homines morantur.* Alieni inprimis, à deliriis Valentini Weigelij qui tractat. Germanic. Vom Orth der Welt / cap.14. cujus titulus: Wie es sey vor der Welt schöpffung / in der Welt / vnd nach zerbrechung der Welt / vnd wo jetzo das Paradiß oder Christus zufinden seye / auch was Himmel vnd Höll seyn / vnd wo vnser Vatterland seye / scribit. Es wird seyn nach zerbrechung der Welt / eine ewige Welt / ohne ende / darinn werden seyn / die Seeligen vnd Verdampten / die Engel vnd Teuffel / wie auff ein Platz beyeinander / oder auff einen Sahl seyn möchten / frölich e vñ trawrige / dantzende vnd weinende / hungrige vnd satte / schöne vnd grewliche / gesunde vnd krancke / blinde vnd sehende / starcke vnd schwache &c. Conf. cap. seqq. ubi id genus plura fanaticus dictator promit. Improbamus talia, & quocunque nos Spiritus Sanctus digito suo ducit, sequimur, firmiter credentes gloriæ locũ in quo cum Christo electi regnabunt, certò paratum, & ab infernali carcere, separatum esse, interim ad piæ antiquitatis Exempla & monita, secreta illa non curiosè, extra, ultra, citra sacras literas discutimus, ex conspectu removentes, quicquid rationis conceptus ex se subministrat, donec ad ipsius Dei conspectum admissi, omnia coràm videamus, & gaudij loco æternum fruamur.

§. 40. *Inter cognata* hujus regni Christi, numeramus *insignes* ejus, ut exinaniti, ita exaltati, *typos.* *Iosephum*, qui ut Moses Gen.41.vers.14. & seqq. commemorat, è carcere eductus, *factus est à Rege Pharaone secundus, Regio palatio, & omnibus regni negotiis præfectus, ut universus Ægypti populus, eius mandata, cum veneratione humili exciperet: accipit in signum plenißimæ potestatis, annulum, vestitus stolà byßinà, & torque aurea, curru Regis vectus est, exclamatum à præcone ut omnes coràm eo genua flecterent &c.* Quæ omnia Christum gloriæ Regem suo tempore exaltandum, veluti in theatrum duxerunt, completa ipso opere, quando æternus Pater, eundem post humiliationem *usq; ad mortem crucis, exaltavit, & nomen ipsi dedit super omne nomen, ut in nomine eius flectatur*

Cognata.

tur omne genus, cœlestium, terrestrium, & inferorum &c. Philip. 2. v. 9. 10. Quanquam in eo amplior Christi quàm Josephi gloria, quod non à Deo majestate secundus, sed *ipse Dominus factus est*, Act. 2. 36. *in ipso majestatis divinæ, non aliquo inferiori throno* collocatus. Hebr. 12. vers. 2. *Davidem*, qui & ipse, post plurium annorum pericula, exilia, varias calamitates, sublato Saule, ad Regni administrationem, ad quam jam pridem unctus fuerat, applaudentibus magno numero, ex omnibus tribubus Israeliticis, evectus est, & gloriosè regnavit; consecutus à Deo *nomen grande, juxta nomen magnorum, qui sunt in terrâ.* 2. Sam. 7. vers. 9. Quo modo eundem Christum, Dei & suum Filium, ejusque regnum adumbrasse, ex collatione, quam quivis facilè instituere potest, manifestum est. Addi potest gloriosa μεταμόρφωσις Christi, in monte Thabor, de quâ supra §. 25. ubi subitò τὸ εἶδος τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἐγένετο ἕτερον, *facies splenduit sicut sol.* Luc. 9. vers. 29. Matth. 17. v. 1. *Vestimenta facta sunt candida nimis, sicut nix, &c.* Vocati è cœli sedibus in colloquium *Moses & Elias*, ipsi quoque ἐν δόξῃ apparentes, quæ omnia gloriosi regni Christi quandam ἀπαρχὴν præbuerunt.


§. 41. *Oppugnatores sunt hujus* regni Christi atq; hostes, quotquot idipsum vel prorsus negant, vel quovis modo, sanam de eo doctrinam corrumpunt. Illud à Judæis olim, statim postquam Christus in gloriam ingressus est, factum: Unde Apostolos, de eo ex mortuis resuscitato, sublato in cœlum, ad dextram Patris gloriosè sedente, publicè verba facientes, & ad fidem in ipsum, populum exhortantes, objurgarunt, in vincula conjecerunt, flagellarunt. Act. 4. vers. 1. seqq. cap. 5. vers. 26. seqq. idque unicè egerunt, ut quæcunque ab Apostolis de Christo exaltato Rege dicerentur, eorum fabulas, & figmenta esse, quibus nihil veritatis subesset, populo persuaderent. Hoc hodieque faciunt *Photiniani*, Christi gloriosi Regis proximi à Judæis hostes, qui tametsi splendidè, *integris libris*, de exaltatione & majestate, Von der Göttlichen Hoheit Jesu Christi, loquantur, ipso tamen opere, blasphemi ejus, quantum in se, sunt oppressores: eò, quod non naturâ, sed nomine tantum atque officio, adeoque Deum factum, esse Christum, pertinaciter tradunt; quin & re- Pugnantia.

gnum ejus restringunt, ac æternum quidem Patrem, in omnia absolutè, non autem etiam Christum, imperium exercere ajunt. Faciunt *Pontificij*, qui inter alia, quæ Christo Regi ejusq; gloriæ propria sunt, Pontifici Romano adscribunt, nominatim verba, Ps. 8. vers. 7. & 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universos, insuper & pecora campi.* Conf. Recusationem Concil. Trid. pag. 270. & 310. Faciunt *Calviniani*, qui hypothesibus suis, de duplici throno, &c. ex negatione infinitæ majestatis. Christo juxta humanam naturam communicatæ. ortis, ejus gloriam, non uno modo violant. Faciunt *Chiliastæ*, in varias sectas dissecti, quorum dogma est: *Christum ante diem novissimum, è cœlo in terram rediturum, pios defunctos resuscitaturum, ac cum illis, ut etiam ijs, quos vivos inveniet, oppressis omnibus impijs, vitam corporalibus deliciis abundantem, per mille annos in hac vita exacturum, inchoato terreno corporali & visibili regno, & finitis demum mille annis, consummationem seculi, & universalem omnium resurrectionem, esse secuturam:* Vide D. Gerhard. de consummat. seculi, §. 67. & seqq. Quò etiam *referendi, qui circa tempus* manifestationis & inchoationis perfectæ gloriæ regni, curiositati suæ nimium indulgent, & certum seculum, lustrum, annum, mensem, diem, horam, definire audent, contra expressam Christi prohibitionem. Act. 1. vers. 7. *Non est vestrum, nosse tempora & momenta quæ Pater posuit in sua potestate.* Referendi etiam huc omnes, qui securitati & voluptatibus carnalibus dediti, inimici sunt uti *crucis*, sic & gloriæ Christi, Philip. 3. vers. 18. ridentes, quicquid de glorioso Christi adventu audiunt *& dicentes, ubi est promissio & adventus eius?* 2. Pet. 3. v. 6.

§. 42. Definitionem officii Regii gloriosi, ex superioribus damus talem: *Officium Christi Regium, in regno gloriæ, functio est, quâ Christus θεάνθρωπος, qui juxta divinam naturam æqualis cum æterno Patre & Spiritu Sancto, æternæq; maiestatis & gloriæ, cum ijsdem à mundi Origine gloriosè regnavit, in temporis plenitudine, etiam juxta humanam naturam ex æterno SS. Trinitatis consilio, formâ servili, in quâ usq; ad mortem crucis, sese humiliârat, depositâ, in gloriam ingressus est, & jam iuxta utramq; naturam, in cœlestis domicilij sedibus, tum Angelis, tum beatis hominum electorum animabus, nec non ijs, quos tùm ante sui incarnationem assumpsit, tùm post resurrectionem*

nem

nem suam à mortuis, excitatos, in ascensione ad cœlos, secum deduxit, visibiliter adest, eosq; immediatè, cœlesti lætitiâ, gaudio, aliisq; bonis, nobis ineffabilibus, implet, venturus, constituto die, sedens super thronum gloriæ suo ac omnes electos, corporibus ipsorum, quæ dormiunt, cum animabus suis copulatis, & ad similitudinem corporis sui clarificati conformatis, in gloriosas æternæ vitæ mansiones, inter triumphos & jubila introducturus, ut sine fine cum Patre & Spiritu Sancto, iisdem sese de facie ad faciem videndum præbeat, eosq; omni beatitudine in regno gratiæ promissâ, æternum cumulet & coronet.



EXIMIO

Dn. M. RESPONDENTI!

POst linguas Orientis, acumina docta sophiæ,
Et apparatum plurimæ scientiæ,
Instructus, FRIDERICE scholas intrare sacratas
Ausus, citato promoves vestigio.
Præsidiis illis accessit lumen avitum;
Exempla subdunt calcar & domestica.
Principibus cum laude Viris, FRIDERICE, placebis:
Sic gloriæ defenditur regnum benè!

scrib. amoris mnemosynon

Joh. Georg Dorscheus, D.

Eidem



Eidem Præcellenti Dn. Respond. Amico dilectissimo.

INclyta si domus est, quam clara ab hoste trophæa,
Servati regni, quam decor alta canunt.
Nobilior quantò domus est, quam laurea sacra,
De Christi claram tartareo hoste facit.
HEILBRVNNERE, Tui laris hæc est gloria! quam Tu
SPES GENEROSA canes, condecorabis, ales.

F.

Joh. Conradus Dannhawer/
SS. Theol. D. Prof. & Ecclesiastes.

FINIS.

